Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Conrad Horneius

Compendium Dialectices : succinctum & perbreve, In adolescentiae usum, quae his studiis primum imbuitur, Olim concinnatum, Nunc vero ita auctum, ut etiam adultioribus inservire possit

Editio nova, prioribus emendatior, Iehnae: Bircknerus, 1654

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1000088774

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



cat me. Ego itaq; humiliatus
vivo propter patrem. ille erectus
vivit propter me. Lectio viii.
Si autem ita dictum est
vivo propter patrem. quia ipse
de illo non ille de ipso est. sine
detrimento equalitatis di-
ctum est. Nec tamen dicen-
do. Et qui manducat me. Et ip-
se vivet propter me. [illegible]
[illegible] equalitas [illegible]

manducaverunt patres vestri man-
na et mortui sunt. Qui man-
ducat hunc panem vivet in eter-
num. quod qui illi mortui sunt
ita vult intelligi. ut non
vivant in eternum. nam temporaliter
et hii profecto moriuntur.
qui manducant Christum sed
vivunt in eternum. quia Christus
est vita eterna. Feria iii. Lectio i.
Dedit enim dominus nobis
[illegible]

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1000088774/phys_0001
Universitäts Bibliothek Rostock

Eb-3060a

Menge.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1000088774/phys_0002

COMPENDIUM

DIALECTICES

succinctum & perbreve,

In adolescentiæ usum, quæ his studiis primum imbuitur,

Olim concinnatum,

Nunc verò ita auctum, ut etiam adultioribus inservire possit.

à

CONRADO HORNEIO

S. Theol. D. & in Ill. Acad. Julia Professore.

Editio nova, prioribus emendatior.

JEHNÆ

Sumptibus JOHANNIS BIRCKNERI, Bibliopol.

M DC LIV.

34. 141

1954. G 836.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1000088774/phys_0004

BENEVOLO LECTORI
S. D.

ALiquot hactenus lucubrationes Logicas, ut scis, in publicum dedimus, olim, cum doctrinam illam juventuti proponeremus, adornatas. Et libello quidem de processu disputandi cùm usum tam nobilis disciplinæ in omni bona eruditione, Theologia cumprimis, scientiarum principe, ostendere, tùm vitia nonnulla, quæ vulgò in disputationibus admittuntur, ob oculos ponere conati sumus, tanquam spicas quasdam post messem analyseos Cornelianæ legentes. Illud opusculum exceperunt exercitationes, in antecessum ex institutionibus uberioribus ea, quatum exposuimus, mente excerptæ. Tandem institutiones ipsæ subsecutæ sunt, exercitationibus ea parte infeliciores, quòd, ut & altera editio libelli de processu, innumerabilibus mendis operarum typographicarum culpa scateant, quæ tamen diligenter statim enotavimus, & ut libro adjungerentur hîc edi curavimus. Hi sunt præcipui in istis studiis labores nostri. Jam antè autem etiam perbreve hoc compendium in usum pueritiæ, ita facere rogati, concinnaveramus, quod aliquoties recusum & postea notis

quibusdam à nobis illustratum fuit. Quas quidem idcircò adjicere coacti sumus, quod non tantum adolescentulos, sed aliquos etiam adultiores manibus illud terere, nec in rudis literariis solùm, sed regiis insuper scholis eo interdum uti videremus, quibus tenuia illa rudimenta non sufficere judicabamus. Eodem autem consilio, quo tum eas inter privatas prælectiones dictavimus, nunc illas compendio ipsi immiscere visum est, ut una eademque opera & iis qui hæc studia primum attingunt, & qui paululum in iis provecti sunt, inserviretur, donec ad ipsas institutiones cognoscendas apti fierent: ita enim de hoc disciplinarum omnium communi & maximè necessario instrumento non minus quàm de disciplinis ipsis comparatum est, ut ad illud rectè percipiendum, & aliquod in eo operæ pretium faciendum, non parvum studium requiratur, nec degustatum id tantum esse sat sit. Quapropter ex usu fuerit, primò rudimenta illa rectè cognosci, pòst quæ nunc adjecimus, & ita demum ad institutiones illas uberiores gradum fieri. Quibus probe intellectis non erit quod porro magnopere desideres. Si tamen quis quæ vel magistri vel suapte opera hîc cognovit, cum ultimam manum imponeret, ad disputationis examen revocare cupiat, ut seipsum magis & magis confirmet, qua in re, si rectè instituatur, magna vis est, in promptu exercitationes sunt, materiam conatui etiam

isti

isti largiter subministraturæ. Sed & commodùm tibi subveniet, spero, ille de processu disputandi libellus, si antequam ipsa illa disciplinæ adyta intres, hominum ineptorum aliquis te à limine ejus retractum eat, quòd vel totum inutile hoc litterarum genus esse dicat, vel severis studiis & præsertim divinis illis minus aptum: nam & tales multi, ne quid durius dicam, βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασι. Nihil autem horum omnium vel vulgavimus hactenus, vel nunc vulgamus eo animo, quo hodie à plerisque libri in publicum propelluntur: non enim insanum illud scribendi cacoêthes nos stimulat, quod tàm multos tenet, adeò ut ea etiam docere alios utplurimum cupiant, quorum rudimenta ipsi non perceperunt. Multò minus in iis quæ optimè jam pridem constituta sunt vel sollicitandis vel convellendis operam ponimus, ut præ imperitia & inepto fastu faciunt novi philosophi, stulti, adolescentuli; sed ea quæ optimè ab antiquis tradita sunt explicamus & propagare conamur. Utrumque ipsæ illæ lucubrationes nostræ loquentur. Cæterum quod de vita hominum Romanus sapiens scripsit, *stultitiam hoc habere proprium, quod semper incipiat vivere*, idem de litteris hodie rectissimè dixeris, insciti-am hoc habere proprium, quod semper incipiat sapere: quid enim tàm rectè in Philosophia aut à veteribus inventum, aut à recentioribus, viris doctissimis, illustratum est, quod non e-

vertant novi illi scriptorculi -- κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀοχοὶ Unde fit, ut non doceatur aut discatur illa amplius, sed indies de novo, si Deo placet, condatur: nec enim inter doctos nomen tueri sibi posse videtur, qui librum non cudat: sed nec ingeniosus satis esse scriptor, si cornicum oculos non configat. Qui error etiam illis interdum imponit, quorum non contemnenda cæteroqui est eruditio: nam dum & ipsi nimis cupidè vel addere inventis volunt, vel ab omnibus recepta emendare, non locupletant plerumque eruditionem, aut perficiunt, sed corrũpunt. Nos quidem tam longè ab hac re absumus, ut plura à veteribus, Græcis, Arabibus, Latinis, inventa in philosophia esse sciamus; quàm plerique hodie discere possint, rectiùs etiam constituta omnia, quàm illi intelligere: hæc in primis ars ita omnibus numeris ab iis perfecta est, ut locupletior & absolutior esse, nostro judicio, nequeat. Quin resecanda potius alicubi ejus luxuries & nimia subtilitas fuit, cum situs, quem ultimi temporis barbaries unà adsperserat, abstergeretur. Sed & hoc pridem à viris doctissimis tam præclarè factum est, ut præclariùs non possit. Quare id restat, ut quæ optime reperta & perfecta jam ante sunt, iis utamur, eaque Ecclesiæ ac Reip. bono multi accurate discant, si docti esse, quàm videri malumus, imò si umbram aliquam veræ eruditionis tueri. Vale. Helmæstadi IV. Non. Majas CIↃ IↃC XXXVI.

COM-

COMPENDII DIALECTICI LIBER PRIMUS

CAPUT I.

De DEFINITIONE ET DIVISIONE LOGICES.

Dialectica, *quæ alias etiam Logica* 1.
appellatur, disciplina est, mentem hominis in rerum cognitione & veritatis investigatione ita dirigens, ut modum & rationem recte eam in omni materia eruendi & in lucem protrahendi commonstret. Cicero lib. de fato rationem disserendi vocat, S. Augustinus peritiam disputandi. Quin idem hic, cum Logica commune & necessarium cæterum disciplinarum instrumentum sit, eam lib. 2. de ordine cap. 12. disciplinam disciplinarum vocat: etsi enim in omnibus cæteris scientiis & disciplinis disseritur, disputatur & verum cognoscitur, sola tamen Logica ipsa præcepta disserendi disputandi & verum à falso discernendi tradit.

2. *Causa in promptu est: nec enim, ut rursus S. Augustinus ait,* ratio hominis ad alia transire fabricanda *potest,* nisi ipsa sua prius quasi quædam machinamenta & instrumenta distinguat, notet & digerat, *hoc est, cognoscere mens hominis nihil rectè in scientiis potest, nisi antea modum quidem cognoscendi & rationem ac præcepta, quibus ipse in cognoscendo dirigatur, præceperit. Quare* hæc docet docere, docet discere, in hac se ratio ipsa demonstrat atque aperit quæ sit, quid velit, quid valeat, scit scire & sola scientes facere non solum vult, sed potest, *ut denuò Augustinus ait.*

3. *Idq; intelligitur, quando disciplinæ cæteræ reales, hæc rationalis appellatur, item cum cæteræ illæ vocantur scientiæ, hæc ab Aristotele 2. metaphys. c. 3.* τρόπος ἐπιστήμης, *modus seu ratio aliquid sciendi. Aptè etiam nomen alterum* διὰ τοῦ λόγου *à ratione, alterum* διὰ τοῦ διαλέγεσθαι *à disserendo nacta est, ut rectè definiri possit, doctrina, quæ communes formulas & instrumenta tradit, quibus mens hominis in omni veritatis cognitione dirigitur, ne aberret.*

4. *Cæterum cùm tria mentis nostræ opera sint, terminorum simplicium apprehensio, eorundem compositio, & ex compositis ratiocinatio, omnia illa dirigit & secundùm ea quàm aptissimè etiam dividitur.*

5. *Et* primò *quidem rectè apprehendere terminos simplices docet, cum totam rerum universitatem in certa Prædicamenta secundum seriem & ordinem universalium ac Prædicabilium digerit, item cum res definire & dividere docet: hæc enim omnia eò pertinent, ne rem unam pro alterâ, substantiam puta pro accidente, quantitatē pro qualitate, aut id quod accidentaliter tantum*

tum rei ineſt, pro parte ejus eſſentiali, ſed rem unamquamq; ita, ut in ipſa natura eſt & revera ſe habet, apprehendas.

Porrò de compoſitione terminorum & ratiocinatione agit, cùm naturam, ſpecies & proprietates tum propoſitionum tum argumentationum proponit. ſed quia utraq; conſideratio duas longè diverſas partes habet, unam de formâ propoſitionum & argumentationum, alteram de materiâ, quæ neutiquam inter ſe confundi debent, fit ut ſtatim poſt doctrinam de terminis ſimplicibus & ſecundò quidem in Logicis loco de formâ propoſitionum agatur: cui tertiò ſuccedit doctrina de forma argumentationum. 6.

Quartò autem loco ad materiam utramque proceditur, & cum illa rurſus duplex ſit neceſſaria, ſeu demonſtrativa, & probabilis ſeu Topica, de propoſitionibus & ſyllogiſmis demonſtrativis ibi tractatur. Poſtea & quintò agitur de propoſitione & argumentatione, ut principali mentis noſtræ munere, præcipua vis doctrinæ Logicæ ſita eſt; (quanquam enim etiam recta apprehenſio ſimplicium, & definitio ac diviſio, propoſitionum item doctrina ad veritatem cognoſcendam requiritur, & ſuo modo aliquid confert: argumentationis tamen beneficio propriè res ignota cognoſcitur;) & verò illa fallaciis tàm in dictione, quàm extra dictionem poſitis mirè corrumpi poteſt. ſextò & appendicis quaſi loco oſtenditur, quænam ſint fallaciæ illæ, & quomodo evitentur aut detegantur. 7.

Caput II.
De
PRÆDICATIONE.

1. *Cum jamjam dixerimus ad dirigendam simplicium terminorum apprehensionem, rectè item aliquid definiendum & dividendum, Logicos totam rerum universitatem decem Prædicamentis includere, & secundum seriem Universalium seu Prædicabilium in iis disponere, statim ad doctrinam Prædicabilium & Prædicamentorum accedendum est, de illis autem prius agendum: cùm enim juxta prædicabilia rerum digestio fiat & tum demum sciatur, quid unũquodq; sit, quando quid de eo rectè prædicari possit, constat, Prædicamenta nec constitui nec intelligi, nisi illis præmissis, possunt. Necessum itaq; est ea antecedere; imò non ista tantùm, sed multorum etiam terminorum & nonnullarum regularum explicationem ac divisionem, quæ Anteprædicamenta vulgò appellant. Quum & ipsis Prædicamentis jam explicatis similia nonnulla propter eundem finem subjici oportet, quæ Postprædicamenta dixerunt.*

2. *Est autem prædicatio nihil aliud, quàm unius de altero affirmatio, ut cum dicitur*: Petrus est homo, Equus est animal. *Dico esse affirmationem; nam etsi etiam negatio unius de altero prædicatio possit aliquo modo appellari, ita tamen vox à Logicis non accipitur. Causa est, quod cum rerum certæ classes constituendæ & rei cujusq; ratio ob oculos ponenda est, non exponitur, quid res non sit, sed quid sit.*

Divi-

Dividitur autem Prædicatio primò *in propriam & impropriam.* Propria *vocatur, cujus omnes partes sive voces in propria significatione accipiuntur, ut:* Homo est animal. Petrus est doctus. Impropria, *cum aliqua pars seu vox ejus improprie capitur, ut:* Pratum ridet Herodes est vulpes. *Sed prædicationes improprias Dialecticus Rhetori transscribit, tantùm ut nonnulli volunt, causalibus & concomitativis exceptis.* 3.

Vocatur autem causalis prædicatio, *quando causa de suo effectu vel effectus de causa in casu recto prædicatur, ut si dicas:* Præsentia solis est dies, *hoc est, efficit diem, vel;* Vulnus in corde est mors, *h. e. mortem infert.* Concomitativa *dicitur, cum unum de altero prædicatur in casu recto ideò tantum, quia unum cum altero necessariò existit, ut cum dico:* Unius generatio est alterius corruptio, *h. e. generationem unius necessariò comitatur seu præcedit alterius corruptio.* 4.

Sunt autem hæ prædicationes impropriæ, quia in propria prædicatione verbum substantivum est *identitatem aliquam prædicati cum subjecto denotat, ut cum dico:* Homo est animal, Homo est doctus; *in istis verò prædicationibus vel unum tantum ab altero procedere, vel unum cum altero esse significatur. Tantum notetur in definitione utraq; addi,* in casu recto: *quòd si enim hunc in obliquum mutes, ex prædicatione impropria propriam feceris, ut si dicas:* Præsentia solis efficit diem. Unius generatio supponit alterius corruptionem. 5.

Secundò *dividitur propria rursus in naturalem, contra naturam & præter naturam.* Naturalis *est, cum id prædicatur quod alteri inest, & subjicitur* 6.

tur cui alterum inest. Inest autem commune particulari sive singulari, & connotativum, seu quod tanquam adjacens de aliquo dicitur, absoluto & illi cui adjacet, ut animal homini, homo Petro, item doctum vel risibile eidem. Prædicationes igitur naturales sunt hæ: Homo est animal, Petrus est homo, Petrus est risibilis, doctus, *&c.*

7. Prædicatio contra naturam *est, cum subjicitur quod revera inest, & prædicatur cui inest, h. e. cum particulare seu singulare prædicatur de communi, vel absolutum de connotativo, ut cum dico:* Animal est homo, Homo est petrus, *item:* Risibile vel doctum est homo.

8. Prædicatio præter naturam *est cum ita prædicatur unum de altero, ut neutrum revera alteri insit, idq; rursus fit dupliciter, vel cum idem prorsus de seipso effertur, ut:* Petrus est Petrus, Homo est homo, *vel connotativum unum de altero, quorum formæ in abstracto de se invicem prædicari non possunt, ut cum dico:* Doctum est album: *nam nec Petrus inest Petro, aut homo homini, quia idem sibi ipsi non inest, nec etiam doctum inest albo; sed ideo tantum doctum de albo prædicatur, quia utrumq; uni tertio inest, puta homini. Prior prædicatio* identica *vocatur, posterior* prædicatio per accidens.

10. *Ubi tamen notetur, quòd additum est de hac posteriori:* quorum formæ in abstracto de se invicem alias prædicari non possunt: *nam si id fieri queat, naturaliter etiam connotativum de connotativo prædicatur, ut cum dico:*

dico: Album est coloratum: *nam in abstracto dicere licet:* Albedo est color, *cum tamen non liceat dicere:* Albedo est doctrina.

Tertiò *dividitur prædicatio naturalis in intrinsecam & extrinsecam.* Intrinseca *dicitur, cum prædicati forma revera inest subjecto, de quo dicitur, ut cum ajo:* Petrus est albus: *albedo enim revera inest Petro.* Extrinseca, *cum prædicati forma denominat quidem subjectum, cui tribuitur, sed revera alteri alicui inest, ut cum dico:* Petrus est visus, auditus, *ita enim denominatur à visione & auditione, ut tamen visio & auditio illa non in ipso, sed in vidente & audiente eum existat, cum nemo dicatur visus vel auditus à sua visione vel auditione sed alienâ.* 10.

Quartò *Prædicatio intrinseca denuò dispescitur in prædicationem essentialem & accidentalem.* Essentialis *dicitur, cum totum prædicatum vel est ipsa essentia vel de essentia subjecti, ex. gr.* Petrus est homo, Petrus est animal: *homo enim est ipsa essentia Petri, cum Petrus nihil aliud sit quàm homo, & animal est pars essentiæ seu aliquid de essentia ejusdem. Dixi autem signanter totum prædicatum: nam etiamsi pars ejus aliqua sit vel ipsa essentia, vel aliquid de essentia subjecti, & alia pars prædicati non sit tale quippiam, non est essentialis prædicatio, ut si dicas:* Petrus est homo albus: *quanquam enim hominem esse est essentia Petri,* τὸ album *tamen ad eam non pertinet.* Accidentalis *prædicatio est, cujus prædicatum vel nulla ex parte vel totum non est de essentia subjecti, ut:* Petrus est albus, Petrus est homo albus *vel* homo doctus. 11.

Quin-

12. Quintò *prædicatio eadem est vel in quid, vel in quale. Prædicatio* in quid *dicitur, quâ aptè respondetur quærenti, quid res sit, ut si quæras, quid sit homo, aptè respondetur, animal, quid Petrus, homo Prædicatio* in quale, *qua aptè respondetur quærenti, qualis res sit, eaq; rursus est duplex, alia* in quale essentiale, *alia* in accidentale, *Prædicatio* in quale essentiale *vocatur, quâ rectè respondetur quærenti, qualis res sit secundum naturam & essentiam suam, at si quæras, qualis sit secundum essentiam homo respondetur rationalis.* Prædicatio in quale accidentale, *quâ satis fit quæstioni, qualis res sit secundum proprietates aut accidentia sua. Ita si quæras, qualis sit homo secundum proprietates suas, respondetur, risibilis, disciplinarum capax & c. qualis secundum accidentia, respondetur doctus, albus, niger, bonus, malus, & c.*

13. Sextò *denique est Prædicatio in universum alia necessaria, alia contingens, alia impossibilis.* Necessaria *est quæ sic vera est, ut falsa esse non possit, ut:* Homo est animal, Petrus est homo, Homo est rationalis, Homo est risibilis. Contingens, *quæ potest esse vera & falsa, ut:* Homo est doctus, Petrus est probus *& c.* Impossibilis, *quæ sic est falsa ut nequeat esse vera, ex. gr.* Petrus est lapis.

14. *Tanta ergo est prædicationum varietas. Cæterùm ex his omnibus sola prædicatio propria, naturalis, intrinseca & vera, cum suis subdivisionibus, in Prædicabilibus seu Universalibus explicantur, impropriâ, eâ quæ contra naturam est, præternaturali, extrinseca*

trinseca & falsa seu impossibili hinc amandatis: nec enim secundum istas sed illas Prædicamenta constituuntur & dispONuntur. Ratio in promtu est: nam primo in universum Logicus oratione propriâ, quantum potest utitur, non impropria, quia per illam res accuratè & propriè exprimitur ut est, per hanc impropriè & secundum similitudinem tantum quandam. Deinde cum idem in Prædicamentis res omnes in certas classes distribuit, id agit, ut quid unaquæque illarum secundum naturam verè sit, quidque ei naturaliter insit, distinctè proponat: unde quæ vel falsò tantum res aut contra vel præter naturam tribuuntur, aut extrinsecus solummodo eam denominant, procul habet.

Quapropter etiam frustrà quæras, ad quod Prædica- 15.
bile id pertineat, cum dico: Herodes est vulpes: *est enim prædicatio impropria, aut:* Quidam homo est Petrus, Quoddam doctum est homo: *nam contra naturam prædicantur, aut:* Quoddam doctum est album, *quia prædicatur præter naturam, aut:* Petrus est visus, *quia est prædicatio extrinseca tantùm; aut denig:* Petrus est lapis, *quia est falsa & impossibilis: Prædicabile enim omne est modus prædicandi aliquid propriè non impropriè, verè non falsò, naturaliter non contra aut præter naturam, & secundum intrinsecam non extrinsecam denominationem.*

CAP. III.

De
UNIVERSALIBUS SEU PRÆDICABILIBUS.

pag. 186.

UNiversale *est res multis communis, seu aliquid* 1.
quod aptum est de multis prædicari, unde etiam

Præ-

Prædicabile alias vocatur. Huic opponitur singulare *quod de multis prædicari nequit. Universalia sunt:* homo, animal, lupus, leo, arbor, herba, doctus, albus, niger, *&c. multis enim commune est, hominem animal, lupum, leonem esse, multis item arborem aut herbam, & multi denique docti, nigri, albi sunt: singularia,* Petrus, Joannes, Bucephalus, hic homo, iste color, hæc doctrina *&c. non enim hæc aliquid commune sed particulare denotant. Solet autem* singulare *alias etiam* individuum *appellari: sicut enim natura communis multis tribui & sic quasi dividi potest, ita contrà res singularis, quæ multis tribui nequit, sed simpliciter una est, individua appellatur. Græcis universale τὸ καθόλου vocatur, Prædicabile τὸ κατηγορούμενον, singulare τὸ καθ' ἕκαστον.*

2. *Ubi observandum est res omnes, ut verè in rerum naturâ existunt, singulares & individuas esse in se: nullus enim nostrum est homo aliquis multis communis, sed unusquisque certus & singularis homo, nulla item arbor est arbor universalis, sed unaquæque arbor peculiaris & singularis. Amentis autem nostræ conceptu est, quod ea quæ revera multa sunt, ut unum quid apprehendantur; puta omnes homines unam idea hominis, omnia animalia unam ideam animalis, omnes arbores unam ideam arboris &c. quare etiam universalitas illa rebus competit non ut revera sunt, sed ut à mente tantùm nostra concipiuntur.*

3. *Sunt autem conceptus seu notiones mentis nostræ, quas barbarè etiam Intentiones vocãt, in duplici di-*

ci differentia: aliæ enim primæ, aliæ secundæ dicuntur. Notio prima *vocatur, cum intellectus rem concipit prorsus ut est, puta, cum Petrum apprehendit ut hominem, ut animal, ut album, vel nigrum, vel doctum vel bonum &c. albedinem ut colorem, ut accidens &c. hæc enim verè & reipsa illis competunt.* Notio secunda *est, cùm intellectus rem aliter concipit, quàm revera est, seu cùm multos homines inter se verè distinctos concipit ut unum quid, cùm revera tamen multi sint, aut animal ut subjectum vel prædicatum in propositione, vel ut terminum majorem, minorem, medium in syllogismo: nec enim hæc talia est animal, sed illa à mente tantum ei tribuuntur & imponuntur. Exemplum capi ex calculis, quibus in abaco utimur, potest: si enim calculum ejusmodi concipias, ut laminam æneam, rotundam, & rationum ineundarum instrumentum, conceptus seu notio illa notio prima est: concipis enim calculum ut revera est. Quod si autem eundem inter supputandum concipias, ut Joachimicum unum, vel decem, vel centum, vel mille, notio secunda tantum est, quia istum valorem revera non habet, sed mens propter supputationem instituendam illum ei tribuit. Unde etiam notiones tales* Entia rationis *vocantur, quòd ratio tantum ista fingat, cùm* notiones primæ notiones reales *appellentur.*

Nec tamen propterea falsitas in istis conceptibus est: non enim ex. gr. mens nostra multos homines ideo ut 4.

unum quid seu unam speciem, multa animalia ut unum genus apprehendit, aut hominem uc subjectum vel prædicatum, item majorem aut minorem terminum concipit, quasi multos homines unum hominem, multa animalia unum animal, aut hominem secundùm naturam suam subjectum aut prædicatum, majorem minoremve terminum esse statuat seu indicet (ita enim oppido fallatur,) sed propterea tantum, ut hoc pacto res ipsas eò rectiùs percipiat, & propositiones atque argumentationes de iis conficiat, planè ut arithmeticus valorem illum imaginarium calculis tribuit, non quod illos ideo vera valere putet, sed ideò nummis illis fictitiis utitur, ut instrumenta sint, quorum ope verorum nummorum rationem subducere possit. Eodem modo histrio in tragœdia hunc regem, illum subulcum fingit, non quod tales esse statuat, sed ut fictionis illius beneficio historiam, quam tragœdia exponit, repræsentet. Sed Pergamus de Universali & Singulari dicere.

5. *Solet autem Singulare seu individuum à Logicis statui quadruplex: 1. enim determinatur ex nomine, ut cum dico:* Petrus, Johannes, *2. per pronomen demonstrativum, ut* hîc homo, iste lupus, illa herba: *3. est individuum, quod* ex hypothesi *vocant, ut si dicas,* Sophronisci filius, *pro Socrate: idem enim illud est, supponendo tamen, quod non nisi unicus Sophronisco filius fuerit. 4. denique est* individuum vagum, *quod nomine communi & signo particulari constat, ut cum dico:* Aliquis homo, Quidam lupus: *denotatur enim individuum, sed incertum. Ex his individuum primo & secundo modo dictum propriè individuum est: quod autem tertio & quarto modo tale dicitur, impropriè: individuum enim ex hypothesi non est tale quid nisi in certo casu, & individuum vagum aliquid ex universali & singulari potius mixtum, quàm purum putum singulari, quæ de re alibi.*

Porro

Porrò Universale est quintuplex: Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens: *ex quibus duo priora prædicantur in quid, tria posteriora in quale; item tria priora essentialiter, duo posteriora accidentaliter. Græcè dicuntur* Γένος, εἶδος, Διαφορά, τὸ ἴδιον, τὸ συμβεβηκός. 6.

Genus est *quod prædicatur in quid de pluribus differentibus specie, sicut* animal *prædicatur de* homine, *de* lupo *&c. si enim quæras quid sit homo, quid equus, quid lupus, respondetur de unoquoq; quod sit animal. Dicuntur autem specie differre quæ sunt dissimilis naturæ & essentiæ, sicut homo & lupus, animal & planta, quemadmodum contrà numero tantùm differunt, quæ similem essentiam habent, & tamen distinguuntur, sicut Petrus differt à Joanne, (uterq; enim homo est,) & lupus hic ab isto, (nam uterq; est lupus.)* 7.

Species *aliquid dupliciter dicitur, primò quatenus alteri tanquam communiori subjicitur, sicut* homo *dicitur species* animalis, *amaracus herbæ, quercus species arboris &c. Hæc vocari solet* species subjicibilis, *& particulare quid potius est quàm universale. Secundò quatenus de aliis tanquam iis communius prædicatur, sicut* homo *dicitur de* Petro, Paulo, Joanne, *&c. lupus de lupo isto, illo; albedo de hac albedine, illa albedine, &c. Hæc vocatur* species prædicabilis, *& inter universalia recensetur. Definitur autem sic: Species est quod prædicatur in quid de pluribus numero tantùm differentibus, sic-* 8.

ut homo de Petro & Paulo: Petrus enim à Paulo numero tantum differt.

Ubi notandum, esse Genus, quod generalissimum seu summum vocent, & speciem, quam specialissimam seu infimam; & rursus genera & species, quæ genera & species subalternæ dicantur. Genus generalissimum *seu* summum, *Græcè* ἀνωτάτω *seu* ἀνωτάτω *vocatur supra quod nullum aliud genus est;* Species specialissima, εἶδος εἰδικώτατον *vel* τὸ ἔσχατον, *quæ in alias species dividi nequit;* Genus *autem* subalternum, *seu* ὑπάλληλον, *quod diverso respectu nunc genus nunc species est; & species subalterna, quæ respectu unius species est, & respectu alterius sit genus. Sic Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio &c. sunt summa genera, quia nullum genus est iis superius, etsi enim* τὸ Ens *omnibus illis commune est, id tamen, ut alibi docetur, genus non est. Similiter homo, leo, lupus, sunt species infimæ, quia non species alias, sed individua tantum sub se continent. Substantia autem corporea est genus subalternum omnium corporum: ita enim horum genus est, ut simul sit species quædam substantiæ, animal item est species corporis viventis, sed ita ut simul sit genus hominis, lupi, leonis, & omnium animalium.*

10. Differentia *est quæ de specie aut numero diversis prædicatur in quale essentiale, ut* sensitivum *de* homine & lupo, rationale *de* Petro, Paulo, Jacobo: *si enim quæras qualis secundùm essentiam sit homo aut lupus, respondetur, sensitivus, vel qualis sit Petrus, Paulus, Jacobus, Joannes, respondetur de singulis, quòd sint aliquid rationale. Hæc duplex munus habet,* primò *ut cum genere constituat speciem, sicut rationale animali conjunctum facit hominem,* deinde *ut genus dividat in species, sicut rationale & irrationale di-*

vidunt

vidunt animal in hominem & brutum. Priori significatione dicitur differentia constitutiva, Græcè συστατική; posteriori divisiva, seu διαιρετική, etsi res in se una est. Porrò distinguitur differentia in genericam γενικὴν & specificam, εἰδοποιόν. Generica est, quæ constituit speciem subalternam seu genus, ut sensitivum constituit animal, specifica, quæ proximè constituit speciem infimam, sicut rationale constituit hominem. Dico, proximè, nam aliàs etiam differentia generica hanc constituit sed remotè, sicut sensitivum eo modo constituit animal, quia quicquid constituit superius, hoc etiam constituit inferius.

Proprium dicitur quatuor modis 1. quod competit rei alicui soli, sed non omni, ut doctum esse homini. 2. quod omni, sed non soli, ut eidem bipedem esse. 3. quod omni & soli sed non semper, ut, canescere. 4. quod omni, soli & semper, ut risibile esse. Est autem Proprium quarti modi maximè tale, & à Porphyrio τὸ κυριώς ἴδιον appellatur. Sed potest & illud & quicquid ex cæteris propriis huc revera pertinet, huic definitioni includi: Proprium est quod de pluribus specie aut numero distinctis prædicatur in quale, non essentiale quidem, sed necessarium tamen, sicut risibile prædicatur de Petro, Paulo, Jacobo; coloratum esse de lupo, homine pariete; bipedem item esse, (sumendo vocabulum pro aptitudine.) de homine aut gallina. II.

Accidens est quod prædicatur de multis specie aut numero differentibus in quale, non essentiale, nec necessarium, sed contingens, sicut albedo prædicatur de pariete & homine, doctrina de Petro & Paulo. Dividitur in separabile & inseparabile. Separabile, Græcè χωριστὸν, est quod separatur, sicut III.

album à pariete: potest enim paries esse niger &c. Inseparabile, ἀχώριστον, quod non separatur, et si separari sine abolitione essentiæ rei potest, ut nigredo in corvo, hæc enim quanquam à corvo nunquam aut rarò abest, potest tamen abesse & nihilominus corvus id quod est manere. Differt à Proprio, quòd istud salva essentia rei nec abesse potest, sicut homo esse non potest qui risibilis non est.

13. *Hæc sunt Universalia seu Prædicabilia, per quæ omne Prædicamentum constituitur: Prædicamentum enim nihil aliud est, quam cum res ad unum ex decem illis classibus Substantiæ, Quantitatis, Qualitatis &c. pertinentes, sub uno summo genere secundum genera subalterna, species subalternas & infimas, differentias item genericas & specificas, ita inter se coordinantur, ut à singularibus unius cujusq; speciei infimæ incipiendo, & ad summum usq; genus adscendendo, quid de quo essentialiter prædicari possit distinctè & ad oculum pateat. Eorundem etiam universalium seu prædicabilium beneficio intelligitur, si quid de re prædicetur ultra ea, quæ in illo genere, ad quod res ipsa pertinet, reperiuntur, illud ad aliud genus spectare, & rei isti tantum vel ut propriun vel ut accidens aliquod inesse.*

CAP. IV.
De
ANTEPRÆDICAMENTIS.

1. *Sicut Porphyrius doctrinam Universalium seu Prædicabilium ad Prædicamentorum intelligentiam primum conscripsit, ita ipse Aristoteles propter eun-*

eundem finem pauca Prædicamentorum tractationi præmisit, quæ vulgò Antepræ dicamenta appellantur. His tres definitiones, duæ divisiones & totidem regulæ continentur & explicantur. Definitiones sunt, quid sit Univocum, Æquivocum & Paronymum: Divisiones, quod alia dicantur cum complexione, alia sine complexione, item alia de subjecto prædicentur tantùm, alia subjecto insint. Regulæ denique sunt axiomata duo de prædicatione observanda. Nos non tantum ista, sed etiam quæ his similia à posterioribus Logicis traduntur, breviter hoc loco exponemus

Dicitur autem vox univoca, Græcè συνώνυμος, 2.
quæ pluribus rebus tribuitur una & eadem prorsus significatione, & res univocæ, quæ non nomen tantum unum & commune habent, sed naturam quoque & essentiam per nomen illud denotatam, sicut animal dicitur de homine, lupo, leone: nomen enim animalis iis omnibus secundum eandem prorsus significationem tribuitur, & homo, lupus, leo, non tantum nomen illud, sed naturam quoque & essentiam eo denotatam revera & ex æquo participant. Dicitur autem nomen ipsum, quod eo pacto pluribus tribuitur, à Scholasticis Univocum univocans, res vero quibus illud tribuitur. Univoca univocata.

Vox æquivoca, Græce ὁμώνυμος appellatur, quæ tribuitur pluribus, at non secundum unam 3.

eandemq; significationem, sicut vox canis animali & sideri, vox Galli avi & homini Gallo; res autem æquivocæ, quæ nomen quidem unum & commune habent, sed rem per illud denotatam non item; sicut sidus, quod canicula dicitur, nomen canis habet, revera tamen canis non est. Ubi rursus nomen ipsum vocant æquivocum æquivocans, & res quibus illud tribuitur æquivoca æquivocata. Est autem vox æquivoca alia à casu tantum talis, alia à consilio: à casu quidem cum ita vox una diversas significationes habet, ut nulla reddi ratio possit, quare illa tam diversa denotet, ut ex. gr. cur vox Gallus tam avem quàm hominem denotet. A consilio autem, cum occasio & ratio aliqua est, aut consilio quodam factum fuit, quòd nomen unum diversa denotet, ut cum non homo verus tantum homo vocatur sed & imago ejus, vel Carolus quis appellatur propter memoriam Caroli Magni: priori enim exemplo etiam pictura hominis homo vocatur, quia hominem repræsentat, posteriori nomen Caroli alteri tribuitur ideò, ut memoriam Caroli Magni nobis in mentem revocet.

4. Porrò inter Univoca & Æquivoca media sunt analoga, etsi Aristoteles ea seorsim hîc non explicavit. sed partim sub Univocis partim sub Æquivocis subintelligi voluit. Dicitur autem vox Analoga, quæ pluribus tribuitur, sed ita ut significatio ejus vel uni proprie & alteri seu reliquis secundum proportionem tantùm quandam, vel certè uni primariò & alteri cæterisve secundariò sòlum competat. Priori modo risus dicitur de homine & prato: homini enim res illa proprie competit, prato autem secundùm proportionem tantum;

tantum; item os *de osse animalis & spina piscis: illud enim* os *proprie est, hæc aliquid ei proportione tantum idem. Ista dicuntur* Analoga proportionis. *Posteriori modo* sanum *dicitur de animali, medicamento, urina: primariò enim hoc animali competit, idq; revera sanum est; secundariò cæteris, quorum unum ideò tantùm sanum dicitur, quia causa sanitatis illius in animali est, alterum quia ejusdem est effectus vel signum. Et hæc vocantur* Analoga attributionis.

Vox denominariva *seu παρώνυμα dicitur,* 5.
quæ rem ab aliqua forma denominat, à qua casu seu terminatione tantùm differt, sicut vox albus *hominem denominat ab albedine. Dico signanter:* à qua casu tantum differt: *denominari enim unum ab altero tripliciter potest, voce seu nomine tantùm, quando vox una cum altera quoad initium dictionis convenit, sed significatione ab ea differt. Ita* somnolentus *à* somno *descendit; somnus tamen naturalem corporis quietem & somnolentus vitium animi significat. Deinde denominatur unum ab altero secundum significationem vocis tantum, non secundum vocem ipsam, ut cum voces prorsus diversæ sunt, sed significatio quodammodo convenit.* Ita temperans *quis dicitur* à virtute: *temperantia enim virtus quædam est. Tertiò fit denominatio secundum vocem & significationem simul, cum & vox à voce descendit & utraq; significatione convenit, sed terminatione differunt. Sic* albus *quis dicitur ab* albedine, *doctus à doctrina, humanus ab humanitate &c.*

Tria autem ad vocem denominativam concur- 6.
runt, vox denominans, *quæ est ipsa forma seu res,*

à qua aliquid denominatur, ut sunt albedo, *doctrina & c.* Res denominata, *seu subjectum, quod denominationem accipit, ut homo, &* denominativum ipsum, *ut*, albus, *doctus. Tantum de definitionibus illis tribus apud Aristotelem: quibus istæ adjici possunt, à posterioribus Logicis explicatæ, quid sit vox concreta & abstracta, quid connotativa & absoluta: nam quid sit intrinsecè & extrinsecè aliquid denominare suprà jam explicatum est.*

7. *Vox* concreta *dicitur, quæ compositum significandi modum habet, seu quæ ita formam aut naturam aliquam denotat, ut simul rem exprimat, quæ formam aut naturam illam habet. Sic vox* candidus *non candorem tantum ipsum sed subjectum etiam candoris, seu id quod candorem habet, significat, ut vox* homo *naturam humanam, ut est in certo supposito Petro, Jacobo & c.* At vox abstracta *dicitur, quæ simplicem modum significandi habet, seu formam aut naturam aliquam in se denotat, non ut ea in subjecto aut supposito aliquo existit, sicut cum dico,* candor, *humanitas.*

8. Vox connotativa *appellatur, quæ significat aliquid adjacens alteri ut adjacens, e. g.* candidus, *vestitus, cœcus: candidus enim candorem significat, non ut in se existentem, sed adjacentem alteri, puta corpori; unde etiam connotativum dicitur, quia ita candorem denotat, ut connotet simul id cui ille inest. De industria autem addo illud:* ut adjacens, *cum etiam*

candor

cãdor aliquid adjacens alicui significet, sed non quatenus adjacet. Sunt autem voces connotativæ omnia adjectiva, quippe quæ nomen etiam inde acceperunt, quod adjectivè significent, nec differt vox connotativa à denominativa: opponitur autem ei absoluta.

9. Hæc dicitur quæ non significat quid ut adjacens alicui, sed tanquam per se existens seu status, ut candor, vestis, homo, lupus, arbor: homo enim, lupus, arbor, prorsus non denotant quidquam quod alteri adjacet, candor autem & vestis talia quidem denotant, at non ut alicui adjacent, sed ut per se existunt, nec cum ita efferuntur vel subjectum, vel id cui adjacent, connotant. Hujusmodi voces absolutæ sunt vel omnia vel pleraq; substantiva, cum inde etiam nomen substantivorum acceperint.

10. Ubi observetur vocem concretam à connotativa & absolutam ab abstracta differre: etsi enim omne connotativum concretum est, & omne abstractum absolutum, convertere tamen id non licet: nam concreta sunt, homo, lupus, leo & substantiva similia, nec tamen eadem sunt connotativa. Similiter eadem voces sunt absolutæ, nec tamen abstractæ. Hactenus de definitionibus: sequuntur divisiones.

11. Incomplexè, ἄνευ συμπλοκῆς, aliquid dicitur, ut homo, lupus, curro, disputo; complexè, μετὰ συμπλοκῆς, ut homo albus, homo disputat: incomplexum enim est vox una rem unam aliquam significans seu unum conceptum in mente audientis gignens, ut homo, lupus, albus, niger; com-

complexum plures voces connexæ, quæ res plures denotant, aut certè plures conceptus in mente gignunt, ut cum dico: homo albus, homo currit. *Dixi incomplexum esse vocem unam, quæ unum conceptum in mente audientis gignit: nam si una vox plures conceptus gignat, dicitur incomplexum voce tantùm non simpliciter, ut* nemo, *pro nullus homo,* nunquam, *pro nullo tempore &c. Similiter dixi complexum esse voces plures inter se connexas, quæ plures conceptus gignunt: nam si plures voces unum tantum conceptum in mente auditoris pariant, complexum est voce tantum non simpliciter, ut si dicas:* animal rationale, corpus animatum sensitivum: *prius enim hominem tantùm denotat, posterius tantum animal.*

12. De subjecto *porrò dicitur quod essentialiter, seu ut essentia vel pars essentiæ de quoquam prædicatur, ut* homo *de* Petro, *animal de homine;* in subjecto *autem* esse, *quod non prædicatur de re, ut essentia vel pars essentiæ ejus, nec tamen esse nisi in illa re potest, sicut* doctrina *est in* homine, *albedo in pariete. Hæc etiam de divisionibus.*

13. Regula *autem prior est:* Quicquid prædicatur de altero ut subjecto, i. e., essentialiter, id tale est, ut omne quod de illo rursus prædicatur, hoc idem dicatur etiam de subjecto isto. *Sic cum* homo *prædicetur de* Petro, *ut subjecto, quicquid dicitur de homine, idem dicitur de Petro, nempe* animal, corpus animatum, corpus & substantiam *esse, item esse* sensitivum, *esse* materiatum *&c.*

Poste-

Posterior Regula est: Diversorum generum 14.
diversæ sunt differentiæ, subintellige divisivæ;
subalternorum autem seu subalternè positorum
generum eædem differentiæ esse possunt saltem
constitutivæ. *Sic aliæ differentiæ sunt* animalis,
aliæ plantæ, *illius esse* progressivum, *esse* volatile,
esse aquatile, *hujus esse* herbam, *esse* fruticem, *esse*
arborem: *animal enim & planta diversa genera*
sunt. At animalis & corporis viventis eædem differentiæ esse possunt, quia genera illa subalternè collocantur: nam animatum, quæ est differentia corporis viventis constituens illud, etiam animali competit, quia quod corpus vivens constituit etiam ad animalis constitutionem concurrit. Quod tamen ita intelligendum est, ut superioris generis differentias generi inferiori, non hujus differentias superiori, communes esse statuas.

Hæc sunt Anteprædicamenta, quæ ideo Prædi- 15.
camentis præmittuntur, ut hæc correctiùs intelligantur: nam ut id fiat primò *& ante omnia distinguenda sunt vera genera ab iis, quæ speciem illorum tantùm habent. Vera autem genera voces sunt univocè non analogicè, aut æquivocè multis communes: ubi sciendum est, quid sint univoca, analoga, æquivoca.* Secundò *cùm de re unaquaq; prædicentur non ea tantùm, quæ in eodem cum ipsa summo genere sunt, sed etiam quæ in diverso, non tamen absolutè, sed paronymicè seu denominativè, nec id ignorari debet, quid sit denominativum.* Tertiò *quia substantiæ*

colle-

collocantur in prædicamento sub vocibus concretis: (non enim humanitas aut, ut ita dicam, equinitas, sed homo & equus directè ad prædicamentum substantiæ pertinent;) contra autem accidentia sub vocibus abstractis: (nec enim album aut nigrum in Prædicamento Qualitatis, sed albedo & nigredo, nec lineatum sed linea in prædicamento Quantitatis ponuntur;) de concreto ibidem & abstracto aliquid monendum fuit. Quartò cùm Prædicamenta ipsa nihil aliud sint, quàm classes rerum, in quibus singulæ illæ, secundùm voces suas, suo quæq; loco, disponuntur, nihil complexum, sed incomplexa tantùm, in Prædicamento requirenda sunt, & quidnam complexum, quid incomplexum dicatur præsupponendum. Quintò denig; nisi distinguere quis norit inter τὸ prædicari de subjecto, & esse in subjecto, nè quidem Entis divisionem in Substantiam & Accidens percipere poterit: nam & substantiæ de subjectis prædicantur, licet in subjectis non sint. Quod autem etiam regulæ illæ duæ propter Prædicamentorum intelligentiam tradantur, per se manifestum est.

Caput V.

De

PRÆDICAMENTIS ET PRIMO DE SUBSTANTIA.

1. PRædicamentum, seu ut Græcè dicitur κατηγορία, nihil aliud est, quàm classis quædam, in qua res multæ diversæ sub uno genere summo secundum genera

nera subalterna & species subalternas infimasq; ac individua certa serie & ordine ita disponuntur, ut quid quò pertineat, & quantum ab altero differat, rectè apprehendi, seu quid de quo prædicetur, intelligi possit.

Hujusmodi classes, quibus tota rerum universitas includitur, decem sunt, Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, Habitus. 2.

Collocatur autem in Prædicamento propriè & directè primò Ens Reale: Non-Entia *enim, ut negationes & privationes, item entia rationis sicut vera entia non sunt, ita ad classes verarum rerum propriè non pertinent.* 3.

Secundò Ens per se unum, *non quod per accidens tantùm tale est & ex multis aggregatum. Dicitur autem per se unum, quod est unius naturæ,* ut homo *aut doctrina; unum per accidens, quod ex rebus distinctis & diversarum naturarum aggregatum est, ut* homo doctus, *item* statua *&* vestis. *Nam alia res est homo, alia doctrina: quare nec homo doctus est unum per se, sed unum per accidens. Similiter statua non as tantum est aut ferrum aut lignum, sed simul effigies hominis aut angeli, vestis denique non pannus tantum nudus sed certa figura præditus. Ratio in promptu est: ubi enim in certas classes res digeruntur, singulas seorsim suo loco collocari oportet, non plures inter se complicatas in unum locum conjici, quia id non sit res ordinare, sed confundere.* 4.

Tertiò Ens completum, *non incompletum. Dicitur autem* Ens incompletum, *quod est pars alterius rei, seu aliam aliquam rem complet, sicut* brachium, pes, caput, *sunt partes corporis humani, & corpus animatum ipsa partes hominis.* Completum, *quod non est* 5.

pars

pars alterius, nec aliud complet, sed ipsum est totum ac perfectum aliquid, ut homo, lupus, equus *&c.*

6. *Quartò denique* Ens finitum, *ut sunt creaturæ omnes: Deus enim, utpote infinitæ & illimitatæ essentiæ, certo rerum generi includi nequit. Talia ergo esse debent, quæ in Prædicamento directè collocentur. Dico directè: nam cætera eodem reduci nihil vetat. Sic Entia incompleta ad genera completorum rediri solent, e. g. partes substantiæ ad substantiam. Solent etiam privationes ad illa genera referri, in quibus formæ collocantur, quarum sunt privationes. Sed hoc est* reductivè *tantum, non directè ad prædicamentum aliquod pertinere.*

7. *Cæterum* substantia, *Græcè* οὐσία, *est res, quæ per se subsistit. Huic opponitur* accidens, *res quæ esse nequit nisi in alio, cujus tamen pars non est, seu uno verbo, quæ alteri inhæret: id enim inhærere appellatur. Substantiæ sunt,* homo, equus, lapis, lignum, crinis *&c. Accidentia,* albedo, nigredo, longitudo, latitudo, doctrina, *&c. omnia enim ista eo, quo diximus, modo aliis insunt.*

8. *Id ita patet: nam homo, equus, lapis, lignum, crinis, esse possunt, & sæpè sunt, etiamsi non sint in alio. Nec obstat, quod homo in museo sit, equus in stabulo, lapis in agro, crinis in capite: id enim ad essentiam illorum nihil pertinet, cum hæc tueantur, & quod sunt maneant, licet in illis non sint, cùm etiam crinis esse crinis non desinat, quando à capite resectus est: multò minus aliquid cæterorum interit, aut esse suum amittit, cùm in iis, quæ diximus, non existit. At albedo, nigredo, longitudo, latitudo prorsus esse nisi in corpore aliquo nequeunt, ut nec doctrina esse nisi in homine, sed statim ea interit*

opor

oportet, si in subjectis illis non existant. Sed nec impedit, quod τὸ *animal aut rationale esse sit in homine, cum hæc sint pars essentiæ hominis eumq; constituant, quin non tam illa sunt in homine, quam homo est ista, accidens autem ita rei inest, ut eam non constituat, sed jam constitutæ superveniat, sicut doctrina homini superbenit jam tum constituto & totam essentiam suam possidenti.*

Substantiæ dividuntur in corporeas & spiri- 9.
tuales seu incorporeas. Spirituales *sunt* Deus, angeli, dæmones. *Corporeæ rursus sunt vel* simplices, *ut* cœlum *& quatuor* Elementa, *vel* mixtæ, *ut corpora cætera. Porro corpora mixta alia sunt imperfectè, alia perfectè mixta.* Imperfectè mixta *sunt* nix, grando *& meteora reliqua.* Perfectè mixta *sunt iterùm vel animata, vel inanimata.* Inanimata, *ut* metalla, lapides *&* metallica *omnia, puta* sulphur, vitriolum *&c.* Animata *denig; vel habent animam* viventem *tantum, ut* arbores, frutices *&* plantæ, *vel etiam* sentientem, *ut* animalia *bruta omnia, vel viventem sentientem &* rationalem, *ut homo.*

Dividi etiam solent in primas *&* secundas. 10.
Primæ dicuntur individua, ut Socrates, Plato, Paulus, Jacobus, Bucephalus *&c. Secundæ autem, individuorum illorum species & genera, ut* homo, equus, animal, planta, corpus, spiritus. *Vocantur autem substantiæ primæ ideo ita quòd primò subsient omnibus: nam accidentia cuncta sunt in substantiis singularibus. Singulares ergo istæ omnibus substant: substantia enim creata non tantum substantia di-*

citur propterea quod per se subsistat, sed etiam quod subsistet aliis, seu accidentia sustineat. Sola divina substantia ita per se subsistit, ut nulli alii tanquam accidenti subsistet.

11. *Proprietates substantiarum sunt*, primò *non esse in subjecto, ut suprà patuit*, secundò, *non habere contrarium: qualitates enim propriè contrariæ inter se sunt:* tertiò, *non recipere magis & minus: non enim unus homo magis est homo quàm alter, nec una aqua magis aqua quàm alia:* quartò *& præcipuè, ut una & eadem numero manens recipiat contraria, sicut idem homo nunc friget nunc calet.*

12. *Sanè etiam* superficies, *etsi illa est quantitas, eadem numero manens, recipit album & nigrum, at non ut subjectum ultimum: substantia enim, puta paries aut aliquid simile, cui ipsa superficies inest, propriè illa recipit. Accidens autem idem numero non recipere contraria ita aliquet: non enim albedo, qua est e. g. in hoc pariete, unquam aliud aliquid quam albedo fieri potest, sicut nec virtus hæc, qua est in Petro, mutari potest in vitium, sed statim ubi nigredo parietem, aut vitium aliquod Petrum subit, albedo & virtus intereunt.*

CAP. VI.

DE

QUANTITATE.

1. *Substantia constituit unum rerum genus seu Prædicamentum: accidens verò in novem distinguitur.*

tur, inter quæ primum locum Quantitatis obtinet. Nota autem vocem accidentis hîc aliter accipi atque supra in Prædicabilibus: illic enim prædicationem tantum accidentalem significat, hîc rem ipsam quæ alteri accidit.

Quantitas, *Græcè τὸ πόσον & ποσότης, est,* 2.
à qua res dicuntur quantæ vel aliquot. Quantum autem aliquid dicitur, quo aptè respondetur ad quæstionem, quanta res sit, ut si quærenti, quantum sit lignum, respondeas, esse bipedale. Similiter aliquot dicuntur per quæ aptè respondetur ad quæstionem, quot sint, ut si quærenti, quot sint aurei in marsupio, respondeas, decem.

Cæterum quantitas est duplex, continua & discreta; continua, *cujus partes communi aliquo termino copulantur, ut sunt* linea, superficies, corpus, *locus & tempus:* discreta, *cujus partes ita non copulantur, ut* numerus *& oratio. Ubi tamen notetur* locum, tempus & orationem *ab Aristotele ex vulgi potius quàm propriâ sententiâ peculiares species quantitatis statui, locum quidem, quia spatium aliquod est, tempus verò ratione continuæ successionis, & orationem propter multitudinem vocum, ex quibus componitur. Interim locus revera nihil aliud est, quàm superficies quædam, ut ipse Aristoteles alibi docet: tempus autem proprie duratio aliqua & ad τὸ Quando pertinet, & oratio denique sonus est seu patibilis qualitas.* 3.

Proprietates Quantitatis tres sunt. Prima 4.
est quod ei, ut & substantiæ, nihil sit contrarium:

nec enim numerus ternarius quaternario, aut superficies lineæ repugnat. Sanè magnum parvo, multum pauco opponitur, sed ista non tàm quantitates sunt quàm relata, cum idem aliquid multum & paucum, magnum & parvum, alio atque alio respectu esse queat.

5. Secunda *est, non recipere magis & minus, quam & ipsam cum substantia communem habet. Sic quinarius numerus non magis est numerus quàm binarius, nec millenarius magis quàm denarius.*

6. Tertia, *& ea quidem soli quantitati competens, est, quòd à quantitate res dicantur æquales & inæquales. Ita ratione longitudinis & latitudinis aut numeri una res alteri æqualis dicitur. Nota tamen ut vocabulum æqualitatis propriè accipias: nam per metaphoram etiam substantiis & qualitatibus tribui solet.*

CAPUT VII.
De
QUALITATE.

1. QUalitas, *Græcè* ποιότης, *est à qua res dicuntur quales, non essentialiter tamen, sed accidentaliter: nam quod alias etiam à differentia substantiali res quales appellentur, homo e.g. rationalis, equus irrationalis, id huc non pertinet. Hæc ad quatuor spe-*

cies

cies redigitur. Primam constituunt dispositio & habitus, secundam potentia & impotentia naturalis, tertiam passio & patibilis qualitas, quartam figura & forma.

Dispositio *est à qua subjectum ita afficitur,* 2.
ut qualitas tamen ea sit fluxa & facilè mutabilis, sicut sunt artium ac scientiarum prima in animo rudimenta. Habitus *est qualitas ex se constans & fixa: id enim à dispositione differt. Ejusmodi qualitates sunt* ars *ipsa*, virtus, scientia.

Differt autem tam habitus quàm dispositio à potentia naturali, quod potentia naturalis connascatur subjecto, 3.
habitus vero & dispositiones ei postmodum superveniant. Quod quidem fit dupliciter: vel enim à Deo infunduntur, sicut fides, spes, caritas, *& linguarum scientia, quam Apostoli in Festo Pentecostes acceperunt; vel acquiruntur crebris actionibus, ut aliàs communiter habitus à nobis parantur.*

Potentia naturalis *est aptitudo ad agendum* 4.
aut patiendum aliquid subjecto à natura indita, ut in homine est facultas loquendi, *discendi litteras &c.* Impotentia *naturalis est naturalis ineptitudo, ut in homine est* hebetudo *oculorum*, tarditas *ingenii &c.*

Passio *est qualitas ab animi aliquo motu in* 5.
corpore existens, sicut est pallor *à timore*, rubor *à verecundia, item ipse animi affectus, ut* ira, amor *&c.* Patibilis qualitas *est non quæ patitur ipsa, sed*

quæ pati facit sensum seu quæ sensum afficit, *sicut* dulcedo, amaritudo, albedo, nigredo. *Inter patibiles tamen qualitates referri etiam potest inveteratum odium & omnis affectus diuturnus. Differt à passione, quod hæc sit subitanea, ipsa diuturna.*

6. Figura *est qualitas quæ ex terminatione quantitatis resultat, prout in se spectatur, ut si quid* triangulare *aut* quadrangulare: forma *quæ resultat ex terminatione quantitatis consideratæ in corpore naturali, ut est* forma hominis, *leonis &c. Figura enim præcisè dicit quantitatis terminationem, at forma eandem ut rei viventi inest.*

7. *Proprietates qualitatis tres sunt:* Prima *est quod in ea reperiatur contrarietas. Sic justitia injustitiæ contraria est, calor frigori, albedo nigredini: contraria enim proprie sunt duo accidentia, quorum unum alterum ex uno eodemq; subjecto pellit.*

8. Secunda *est, recipere magis & minus, quæ enim alba sunt eorum aliud magis, aliud minus est tale, sicut & homo alius magis, alius minus est justus. Nota tamen de qualitatibus in concreto non in abstracto hoc intelligi: nec enim una albedo magis albedo est quàm altera.*

9. Tertia *est, quòd à sola qualitate dicantur res similes & dissimiles.*

Cap.

CAPUT IIX.
De
RELATIONE.

VOx relationis *æquivoca est: nam primo relatio* 1.
alia est rationis, *alia realis, rationis quæ à fictione tantum mentis dependet, qualis est relatio seu respectus* subjecti *ad* prædicatũ, *generis ad speciem, speciei ad individuum;* realis *quæ sine fictione intellectus in re est, ut* paternitas & filiatio, *similitudo, æqualitas &c. Deinde ex relatis realibus alia vocantur relata secundum dici, alia secundum esse.*

Relata secundum dici *appellantur res absolutæ, quæ cum quadam respectu concipi & explicari* 2.
solent, sicut caput *concipitur ut* capitati *caput, ala ut alati ala. Relata autem* secundum esse *rursus dividuntur in transcendentalia & prædicamentalia.* 3.
Relatio transcendentalis *est, cum quid refertur ad alterum tanquam causam, effectum, objectum, subjectum suum aut modo simili, sicut* creatura *refertur ad* Deum *ut causam suam, sol ad lumen ut effectum suum, visus ad rem visibilem ut objectum, accidens ad substantiam ut subjectum &c. Vocatur transcendentalis relatio, quia talis ordo & respectus unius rei ad alteram per omnia prædicamenta vagatur.*

Prædicamentalis *denig. relatio est, cum unum respicit alterum, non ut causa effectum aut ullo modorum jam recensitorum, sed tantum ut purum terminum, sicut* simile *respicit* simile, dominus servum princeps *subditum: nullus enim inter hæc respectus aut causæ aut objecti aut talis aliquis intercedit, & nihilominus unum ad alterum dicitur.*

4. *Cæterum ex omnibus illis relationibus sola prædicamentalis certum genus constituit: relatio enim rationis, quia nihil reale est, huc non pertinet. Relatio autem secundum dici in modo concipiendi potiùs, quam in reipsa posita est: & relatio denig. transcendentalis per plura genera vagatur. Huc accedit, quod ambæ istæ posteriores ita rebus competunt, ut illæ propterea res absolutæ esse non desinant, sicut scientia est qualitas, visus potentia naturalis, sol substantia, etsi scientia & visus respectum habeant ad objecta sua, & sol ad lumen ut effectum suum. Relatio vero prædicamentalis purus putus respectus est: nec enim patrem aut filium esse est vel substantiam vel quantitatem vel qualitatem esse, sed simpliciter quis pater est eò quod filium habeat, & filius quod patrem. Relata Græcè τὰ πρός τι dicuntur.*

5. *Quatuor autem ad Relationem concurrunt* 1. *est* relativum *ipsum, subjectum scil. quod refertur, ut homo dicitur pater, corpus unum alteri simile. Hoc interdum est substantia, ut in exemplis alla-*

allatis; interdum accidens, ut cum una quantitas alteri dicitur æqualis. 2. Fundamentum *relationis seu id quod causa est, cur unum ad alterum referatur, sicut potentia generandi causa est quod homo dicatur pater, qualitas, quod corpus aliquod alteri simile.* 3. Ratio fundandi *seu fundamentum proximum, i.e. conditio, sub qua relatio sequitur, fundamentum illud remotius, sicut actio generandi est in paternitate: quod enim potentiam generandi habet, tum demum fit pater quum actu ipso generat. Eodem modo non qualitas simpliciter similitudinem facit sed unitas ejus: etsi enim à qualitate corpus tam simile quam dissimile alteri dicitur, simile tamen proximè appellatur, si qualitas illa una eademq; sit, dissimile si diversa.* 4. *est* terminus relationis *seu id ad quod relativum refertur, sicut pater refertur ad filium, simile ad suum simile. Solet aliàs correlativum vocari.*

Proprietates relatorum sunt, primò, *quod* 6.
uno eorum posito ponatur & alterum, & negato uno, alterum quoq; negetur, sic si pater quis sit, est & filius aliquis & contrà: sin autem uemo est pater, nemo etiam est filius. Secundò *quod uno cognito alterum cognoscatur: ita qui novit quid sit servire, facile etiam intelligit quid sit dominari.* Tertiò *quod simul sint natura: statim enim atque aliquis incipit esse pater adest & qui sit filius, & vice versa.*

Caput IX.
De
SEX ULTIMIS PRÆDICAMENTIS.

1. ACtio *est quum agere quid dicitur, ut* disputare verberare, clamare. Passio *est quum quid patitur, ut* verberari, calefieri.

2. *Dividuntur* Actiones *intransseuntes & immanentes. Actio* transiens *vocatur, quæ non recipitur in eo à quo oritur, sed ab alio oritur, ab alio recipitur, sicut verberatio: verbera enim à Petro proficiscuntur & recipiuntur à Paulo, nisi forte Petrus seipsum percutiat.* Immanens *dicitur, quæ in eodem subjecto recipitur ex quo oritur, sicut intellectio ex intellectu oritur & in intellectu manet, appetitio ex appetitu & recipitur in appetitu.*

3. *Porrò etsi Actio & Passio duo sunt genera, tantam tamen cognationem habent, ut in abstracto una voce denotari soleant: ita calefacere & calefieri calefactio, generare & generari generatio appellantur. Quare etiam distinctionis causa calefactio & generatio alia activa alia passiva vocari solet, ut per calefactionem passivam τὸ calefieri, per generationem passivam τὸ generari, per calefactionem autem & generationem activam τὸ calefacere & generare intelligantur.*

Pro-

Proprietates duas habent. Prima *est recipere* 4.
contrarium: frigefacere enim & calefacere, sicut &
frigefieri atq; calefieri, contraria sunt Secunda *re-*
cipere magis & minus: nunc enim magis aliquid ca-
lefacit aut calesit, nunc minus.

Ubi, *seu esse alicubi, est loco contineri, ut esse* 5.
in foro, in urbe.

Quando *est tempore circumscribi, ut fuisse,* 6.
heri, hodie. *esse.*

Situs *est habere partes corporis certo modo af-* 7.
fectas ad partes loci, ut stare, sedere, cubare.

Habere *est corpori aliquid adjacere, ut* stola- 8.
tum *aut* togatum *esse. His decem classibus infinita*
rerum & nominum multitudo ita distincte continetur, ut facilè sit cernere, quæ ad quod prædicamentum pertineant, & in unoquoq; eorum quæ quibus communiora sint aut minus communia.

CAPUT X.
De
POSTPRÆDICAMENTIS.

EXplicatis *Prædicamentis id restat, ut nonnullos* 1.
terminos, quorum in iis facta est mentio, adhuc exponamus. Sunt autem hi, quid sit contrarietas, & in universum quotuplex oppositio rerum, quotupliciter aliquid dicatur prius, item simul esse, moveri &

ri & habere: quæ doctrina quia post categorias ab A
ristotele traditur, vulgo, quanquam barbare, dici
tur Postprædicamentorum.

2. Oppositio *est quædam rerum pugna: pugnant autem quæ de uno & eodem singulari verè simul af*
firmari nequeunt, ut homo & equus, *album & ni*
grum. Et hæc sunt duplicia: alia enim propriè pu
gnant, alia minus propriè. Posteriora vocantur disparata, *ut* homo lupus; leo: *etsi enim horum unum alteri contrarium non est propriè, non possunt tamen duo illorum, nedum plura, simul in uno singulari vel individuo esse. Priora dicuntur* oppositæ *estq; oppositio talis quadruplex, relativa, contraria, privativa & contradictoria.*

3. Relativè *inter se opponuntur duo correlata ut* pater filius, *herus & servus.*

4. Contrariè, *duæ qualitates quarum una alteram ex subjecto suo pellit, nisi una fortè naturâ insit, ut* albedo & nigredo, calor & frigus. *Sunt autem contraria duplicia, alia* mediata, *alia* immediata. Mediata *sunt quæ ita pugnant, ut tamen admittant medium, seu ut neutrum eorum necesse sit esse in subjecto, sicut* album & nigrum: *contingit enim ut corpus quod albedinem & nigredinem habere potest, neutram habeat, & sit rubrum aut viride.* Immediata *sunt, quorum alterutrum*
neces-

necesse est esse in subjecto, ut est sanitas *&* morbus *in animali,* par *&* impar *in numero.*

Privativè *opponuntur habitus seu forma &* 5.
privatio ejus. Per habitum autem & formam intelligitur omne quod aliquid ponit in re, vulgò positivum vocant, ut vita, visus, auditus. *Privatio verò est absentia illius formæ in subjecto apto ut eam habeat, & eo tempore quando habere debebat. Sic si absit* visus *in animali, quod natura aptum erat videre, & absit tum quando per naturam videre debebat, privatio est & cœcitas vocatur. Ejusmodi privationes sunt* tenebræ, mors, surditas, calvitium, nuditas *& infinita alia. Quando igitur hæ opponuntur formis, quarum absentiam dicunt, privativa est oppositio, puta si vitam morti, lucem tenebris, visum cœcitati opponas.*

Contradictoria *denique sunt quæ opponuntur* 6.
sicut esse & non esse simpliciter, ut homo, non homo, album, non album.

Differunt autem privativè & contradictoriè 7.
opposita: etsi enim etiam privantia dicunt esse & non esse, non tamen dicunt non esse nisi in certo subjecto seu certa re. Sic cœcum *non dicitur omne quod non videt, sed id tantum quod non videt, cùm potuerit videre. At contradictoria simpliciter dicunt esse & non esse: unde videre aut cœcum esse, non competit omnibus rebus, cùm multæ sint quæ nec vident nec cœcæ sunt, puta lignum, lapis, terra, aqua, &c.*

&c. at videre aut non videre omnibus competit. Ita lignum, lapis, terra et si cæca dici nequeunt, non videre tamen rectè dicuntur.

8. Prius *dicitur aliquid multis modis. Primò propriè & præcipuè ratione* temporis, *ut prior est Cyrus Persarum rex Alexandro M. prior Abraham Davide. Secundò ratione* naturæ *& τῦ esse, ut prior est binarius ternario. Tertiò ratione* ordinis, *ut consul senatore. Quartò ratione* nobilitatis, *ut aurum argento. Quintò sicut* causa effecto, *ut sol luce.*

9. Simul *dicuntur esse propriè quæ eodem tempore sunt, ut Abraham & Lot: deinde quorum unum est si sit alterum, ut pater & filius: si enim hic est pater statim alter est filius.*

10. Moveri *dicitur aliquid sextupliciter: primò quum res* oritur, *secundò quum* interit, *tertiò cum* accrescit, *quartò cum* decrescit, *quintò cum* alteratur, *sextò cum* locum mutat.

11. *Postremò τὸ* habere *totupliciter dicitur. Primò dicitur habere aliquid qui* qualitatem *habet, ex gr. doctrinam aut sanitatem: secundò qui* quantitatem, *tertiò qui habet ea quæ sunt* circa corpus *ut vestitum, togatum esse; quartò qui quid habet ut* partem, *sicut est manum habere; quintò quod rem* complectitur, *sicut dolium habet vinum, & sextò denig; qui rem* possidet, *ut qui domum habet.*

Hacte-

Hactenus de Prædicamentis & quæ ad ea cognoscenda pertinent Prædicabilibus, Antepræd- 12.
icamentis & Postprædicamentis, id est, iis, ex quibus & quorum ope tota rerum universitas tanquam in synopsi cognoscitur.

CAP. XI.
De
DEFINITIONE.

UTres ipsæ & termini simplices rectè apprehendantur, cognoscantur & distinguantur, id non 1.
tantùm doctrinam Prædicamentorum efficere, dum omnes res sub unum conspectum redigit, sed ad hoc etiam rationem definiendi ac dividendi requiri suprà diximus. De definitione igitur ac divisione aliquid hic addendum est.

Vocatur autem aliquid definitio dupliciter, uno 2.
modo, cum nominis *tantùm significatio explicatur, ut cum dico: eclipsis est deliquium solis aut lunæ: altero, cum* rei *ipsius natura exponitur. Et definitio quidem nominis sæpè uno vocabulo constat, ut cum dico:* Honestum est decens, *differere est disputare: satis enim nomen unum per alterum explicatur: definitio autem rei oratione. Oratio hæc est, inquam, quia per unam vocem ipsa natura rei explicari nequit: cum enim definitio distinctè intellectui subjicere debeat, quod confusè per nomen ejus denotatur,*

duo

duo ad minimum conceptus de re formandi sunt; unus quo exprimatur, quid illa cum aliis rebus commune habeat, alter quo contineatur quid ab aliis differat, quare necesse est ut definitio rei plures etiam voces habeat, adeoq; oratio quæpiam sit.

3. *Porrò quod oratio dicatur, id dupliciter potest intelligi: interdum enim tota oratio, quæ constat definito (seu eo quod definitur) & definitione, (seu id per quod quid definitur) definitio vocatur, & tum illa est integra enunciatio, ut cum dico hanc totam orationem:* Homo est animal rationale, *esse definitionem hominis. Interdum verò definitio appellatur id solum, quod definito apponitur & opponitur, ut si dicas* hominem *esse definitum, &* animal rationale *esse definitionem: utroq; enim modo Philosophus vocem definitionis accipit. Græci ὁρισμὸν vocant.*

Dividitur autem in descriptionem & definitionem propriè dictam. Descriptio *vocatur, quæ rei naturam exponitur per genus ejus &* proprium *aliquod, vel certè collectionem accidentiam communium, ut cum dico:* Homo *est* animal risibile, *vel* homo est animal bipes implume. *Dicitur descriptio, quia rei naturam non omnino & accuratè, sed quadamtenus tantùm delineat atq; explicat. Et huc revocari solent etiam aliæ rerum explicationes imperfectæ, licet verum genus non habeant, quales sunt descriptiones summorum generum Entis, ut*

Sub

Subſtantia eſt Ens, quod independenter ab alio exiſtit, *Quantitas quod rem extendit &c.* Definitio *autem propriè dicta eſt, quæ rei naturam per genus & differentiam ejus ſpecificam accuratè explicat.*

Et hæc rurſus dividitur in eſſentialem & cauſalem. 5. Eſſentialis *eſt, cum genus & differentia ab internis cauſis rei, id eſt materia & forma deſumuntur, ut cum dico*, Homo eſt animal rationale: *per animal enim intelligitur corpus animatum ſentiens, per rationale, præditum animâ rationali.* Cauſalis *verò dicitur, cum differentia deſumitur à cauſa externa, h. e. efficiente & finali, ut ſi dicas:* Tonitru eſt ſonus in nube à diſruptione nubis ortus, *vel, Manus eſt membrum corporis animalis ad apprehendendum aliquid factum: in priori enim exemplo differentia à cauſa efficiente tonitru, in poſteriori autem à cauſa finali manus deſumitur.*

Raræ tamen ſunt definitiones eſſentiales in ſub- 6. *ſtantiis, cum veræ differentiæ ſpecificæ earum plerumq; lateant: unde loco illarum proprietatibus utimur & deſcriptionibus. Ita* lupus *dicitur eſſe* animal ganniens, *leo rugiens, aſinus rudens &c. Cauſalis autem definitio in accidentibus tantùm reperitur: ſicut enim ſola accidentia ſunt per cauſam externam, h. e. ſubjectum ſuum aut aliquid ſimile, ita etiam per cauſam talem definiuntur.*

7. *Caterum non definiuntur res omnes, nec quæ definiuntur eodem modo definiri solent. Et primò quidem, non definitur* unum per accidens, *quod proprie est tale, sed tantùm res una per se: sicut enim unum per accidens plures naturas denotat ex. gr.* homo albus *naturam humanam & albedinem, ita etiam una definitione utrumque comprehendi non potest. Secundò non definitur* singulare *proprie & proximè, sed universale; nam universalia naturas rerum continent & immutabilia sunt, cum singularia identidem mutentur. Sic definitur* homo, lupus, leo, *primò & proximè, non* hic homo, hic lupus, hic leo, *&c. Dico primò & proximè: nam remotè etiam singularia definiuntur eo ipso, quo universalium definitiones conficiuntur. Possunt insuper ipsa in se describi. Tertiò non definiuntur, sed describuntur tantum,* summa rerum genera, *quia nec genus ullum superius habent, nec veras differentias. Similiter describuntur tantum* differentiæ ultimæ, *quia alias differentias non habent. Definiuntur autem genera subalterna & species. Et quidem substantia corporea proprie definitur, ut & accidentia, sed hæc per substantiam, quin multa horundem non tantum per illam, sed etiam per alia additamenta. Sic* scientia *definitur habitus animi quo cognoscitur res contemplationi subjecta, &* virtus *dicitur esse habitus voluntatis humanæ, quo eliguntur & agguntur quæ recta sunt: ubi utrobique non subjectum tantum, nempe animus hominis, sed etiam objectum in definitione collocatur.*

8. *Præcepta ad bene aliquid definiendum aut describendum utilia hæc sunt.* primò *ut definitio sit ex notioribus: cum enim munus ejus sit, ut rem explicet, omnis autem explicatio per aliquid notius fiat, bona definitio aut descriptio esse nequit, quæ definitum*

tum, quod obscurum erat, per aliud æquè obscurum explicare conatur. Quare voces metaphoricæ & metaphoræ, præsertim longiùs petitæ, hîc fugiendæ sunt. Secundò ut definitio sit propria definito h. e. cum eo convertatur: nam si vel latiùs pateat, vel strictior eo sit, naturam definiti sufficienter monstrare nequit. Tertiò ut nihil desit aut superfluat: deest autem aliquid, si dicas ex. gr. Homo est substantia rationalis, quia addendum erat, corporea, animata, sentiens, quod uno alias nomine animal dicitur. Superfluit, cum ita homo definitur: Homo est animal rationale risibile: nam cum ipsa differentia specifica seu τὸ rationale hîc ponatur, τὸ risibile, utpote proprium tantùm hominis & effectus rationis, superfluum est. Unde quartò definitio etiam brevis esse debet, quantum ejus fieri potest. Dico, quantum fieri potest: nam cæteroqui alia breviùs definiri possunt, alia uberiori explicatione indigent. Sic breviter definitur Dialectica, quod sit habitus instrumentalis rem cognoscendi; virtus autem moralis hanc definitionem habet, multò longiorem, sed in qua nihil tamen superfluum est. Virtus est habitus μεσαιρετικὸς consistens in mediocritate, quæ ad nos est, seu ut eam vir prudens determinaverit. Tantum etiam de definitione.

Caput XII.
De
DIVISIONE.

1. Divisio *est oratio, qua totum in partes suas divi-*
ditur, ut homo *in* animam & corpus, *anima*
in hominem & brutum. Et totum quidem illud vul-
gò divisum vocatur, partes autem, membra dividen-
tia, seu membra divisionis. Estq; divisio primò duplex
alia qua nomen distinguitur, alia qua res ipsa, Divi-
sio nominis *est cum vox multiplex seu homonyma*
distinguitur in significata sua & ab homonymia li-
beratur, quod sæpè & necessariò in scientiis facien-
dum est.

2. Divisio *autem* rei *potissimùm est quadruplex*
nempe 1. *Divisio totius* integralis *in partes inte-*
grantes. Dicitur verò totum integrale, quod alio
vocatur totum quantitativum, *sive habeat partes*
tantùm similares, h. e. ejusdem naturæ & appella-
tionis cum toto, sicut omnes partes aquæ sunt aqua
lapidis lapis; sive dissimilares, ut corpus humanum
habet caput, brachium, pedes, & domus ex lapidibus
lignis, calce & similibus constat. 2. *Divisio* ejus *quod*
totum est potestate *seu virtute, sicut anima divide-*
tur in facultates suas, puta vegetantem, sentientem
& rationalem. 3. *Divisio totius* essentialis *in par-*
tes essentiales, sive ea sit totius Physici *in partes phy-*
sicas & realiter distinctas, puta ejus quod ex materia
&

& forma constat in materiam & formam, sicut homo *dividitur in* corpus *&* animam: *sive sit totius* metaphysici, *ut vocant, seu quod genere & differentia constat, in partes metaphysicas & ratione tantùm distinctas, h. e. in genus & differentiam, sicut alteram partem essentiæ humanæ esse dicimus, quod homo* animal *sit, alteram quod sit* rationalis. 4. *Divisio totius universalis in partes subjectas seu in inferiora sua cujusmodi præcipue est divisio generis in species, sicut* animal *dividitur in* hominem *&* brutum, *color in albedinem, nigredinem, rubedinem &c. Quo etiam refertur divisio in differentias, ut cum dico* animalium *aliud est* rationale, *aliud* irrationale: *differentiæ enim non sunt partes generis, nisi prout speciem constituunt.*

Et hæ sunt rerum divisiones per se. *Sunt autem alia* 3.
adhuc quæ divisiones per accidens *dicuntur, h. e. tales, ubi totum non in veras suas partes, sed in aliqua, quæ ei accidunt, dividitur. Talis divisio totius quantitativi est, si dicas pars lapidis una est alba, altera nigra; totius essentialis physici, cum dicitur, hominis pars alia est mortalis, alia immortalis; totius essentialis metaphysici, ubi dicitur, hominis pars altera est brutis communis, altera homini ipsi peculiaris; totius universalis denique, cum aut subjectum dividitur in accidentia, ut si dicas animalium aliud loqui potest, aliud non potest, aliud erectum est aliud pronum; aut accidentia in subjecta, ut bonorum alia in animo sunt, alia in corpore, virtutes aliæ intellectivæ, aliæ in voluntate & appetitu positæ; aut accidens in accidentia, ut cum dicis, alborum quædam dura sunt, quædam mollia, quædam liquida &c.*

4. *Præcepta in divisione observanda sunt hæc: 1. ut singula membra dividentia minus contineant quàm divisum, omnia verò simul sumta diviso adæquentur. Sic non est bona divisio si dicas*, animalium aliud *est* sensu præditum, *aliud* rationale, *quia sensu præditum tam latè patet, quàm animal, nisi sic id appelles, quod tantum sensum & nihil præterea habet. 2. Ut res in proxima membra distribuantur quantum fieri potest, non in remota, unde non rectè* corpus *dividas* in hominem, brutum, arborem, fruticem & herbam: *prius enim corpus dispescendum erat in corpus animatum & inanimatum, dein animatum in animal & plantam, & tandem animal in hominem & bestiam, planta vero in arborem, fruticem & herbam. 3. Ne in divisione una tantum pars sit positiva altera negativa, nisi necessitas fortè cogat: unde inepta est divisio, si dicas quantitatum alia est* linea, *alia* non linea, *alia est superficies, alia non superficies. 4. Ut membra dividentia sint inter se opposita, si non re, at ratione saltem, & ita ut uullum sub altero contineatur. Sic vitiosa est divisio, si dicas, corporum viventium aliud est planta, aliud animal, aliud homo, aliud arbor: nam homo sub animali, arbor sub planta continetur.*

ut membrum divisionis ab illis distinctum constituere nequeat.

Liber

Liber Secvndvs De ENUNCIATIONIBUS.

Caput I. De NOMINE ET VERBO.

EXplicata sunt quæ ad primum mentis opus dirigendum pertinent i. e. ut rectè terminus simplex concipiatur, definiatur ac dividatur, nunc ad secundum accedamus. Hoc in terminorum eorundem compositione situm est, ex qua propositio & in universum omnis oratio oritur. Prius autem de forma propositionum seu enunciationum agendum est, ut diximus, eaq; duabus de causis explicatur 1. ut naturam, species ac proprietates earum, (quæ quidem ad formam pertinent) intelligas, 2. ut cognita forma illarum etiam forma syllogismorum intelligatur: hæc enim sine illa percipi nequit. 1.

Porrò ut cognoscatur quid sit enunciatio, sciendum est quid sit Nomen, quid Verbum: hæ enim dictiones simplices sunt ex quibus orationes & 2.

propositiones principaliter constat. Sanè Grammatici etiam de Nomine & Verbo agunt, sed paulò aliter, & accuratiùs eæ voces hic explicandæ sunt.

3. Nomen *itaq; est vox seu dictio simplex, significans secundum impositionem absq; tempore.*

4. *Primò est vox* significans: *nam ex vocibus quæ nihil significant orationes non componuntur.*

5. *Deinde significat* secundum impositionem: *nam* gemitus sibilus *& similes voces, quibus homo & cætera etiam bruta animantia animi affectus produnt, sicut significant naturaliter tantum, non ex certa impositione, ita nec ex iis orationes sunt.*

6. *Tertio significat* absque tempore: *nam in eo nomen differt à verbo: hoc enim semper tempus connotat. Sic qui dicit,* homo, *tantum rem denotat sine tempore: at qui dicit* currit, *disputabit, non tantum rem, id est, cursum aut disputationem notat, sed & unà tempus, puta cursum nunc esse, disputationem futuram esse.*

7. *Cæterum nomen propriè dicitur, ut* homo, equus, leo, *impropriè,* non-homo, non-leo: *illa enim certum quid nominant ac denotant, hæc nihil certi: unde etiam illa vocantur nomina* finita, *hæc* infinita.

8. *At nec nomina* obliqua *proprie nomina sunt, sed recta. Sic homo & homines in casibus rectis nomina*

mina sunt, at hominis, homini, hominem &c. hominum, hominibus, non tàm nomina ipsa, quàm casus eorum. Nomen Græci ὄνομα vocant.

Verbum *est quod consignificat tempus & semper est nota eorum, quæ de alio dicuntur: nam quod sit dictio simplex & vox significans per impositionem, ex superioribus hîc subaudiendum est.* 9.

Consignificat tempus, sicut supra id explicatum est. Hic nota de industria dici, consignificare, *non significare: posterius enim etiam nominibus competit. Sic vocabula* annus, mensis, hora, *tempus significant, id est, denotant rem quæ est tempus: at non consignificant, seu præter rem ipsam quam significant, temporis differentiam addunt, in qua res illa sit.* 10.

Deinde dicitur esse nota eorum quæ de alio dicuntur: *cum enim omne verbum actionem aut passionem quodam modo denotet, de ratione autem tàm actionis quàm passionis sit, ut alteri inhæreat, proindè fit ut verbum semper denotet accidens aut ejusmodi aliquid quod certo modo de altero dicitur, ut,* disputat, currit, vivit, docet *&c. At nomina etiam substantias ipsas exprimunt, ut* homo, leo, lupus, Petrus, Paulus. 11.

Sunt autem & verba finita *ac* infinita: *sed quia in oratione non manent infinita, de iis laborandum magnopere non est.* 12.

13. *Casus item illis æquè sunt ac Nominibus, & ita Logici vocant* modos & tempora: *modi enim indicativi & temporis præsentis casus quidam sunt modi & tempora cætera.*

14. *Nota etiam hîc, modum quem Grammatici infinitivum vocant sæpè non Verbum sed Nomen esse: nominis enim loco ponitur. Sic cum dicitur:* Disputare pertinet ad Logicum, *vox* disputare *accipitur pro nomine, & perinde est ac si dicas,* disputatio. *Verbum Græcis ῥῆμα est.*

CAPUT II.
De
ORATIONE ET ENUNCIATIONE AC HUJUS SPECIEBUS.

1. ORatio, λόγος, *est vox ex simplicibus dictionibus composita, seu vox, cujus partes separatim aliquid significant, sed tamen ut dictiones, non ut affirmationes aut negationes.*

2. *Dico partes orationis etiam* separatim *aliquid significare: hoc enim ea differt à nomine & Verbo seu simplicibus dictionibus.*

3. *Additur significare ut* dictiones, *non ut affirmationes & negationes: nam oratio, cujus ipsæ partes aliquid affirmant aut negant, non una simplex*

plex oratio est sed plures, aut certe una ex pluribus composita.

Porro oratio alia est perfecta alia imperfecta. 4.
Imperfecta *quæ perfectam sententiam non exprimit, sicut cum dico:* Liber Aristotelis, Omnis homo qui est doctus & pius. Perfecta, *quæ sententiam perfectam continet, ut:* Liber Aristotelis à me lectus est. Omnis homo qui est doctus & pius magni est faciendus.

Sed & perfectæ multorum sunt generum: aliæ 5.
enim sunt optativæ, *ut: O si veniat Petrus; aliæ* interrogativæ, *ut: Paule unde venis? aliæ* deprecativæ, *ut: Parce mihi quæso; aliæ* imperativæ, *sive sint simpliciter præceptivæ, ut: Abi domum, sive hortatoriæ, ut: Disce puer virtutem, sive cõsolatoriæ, ut: Ne te maceres ista cura; aliæ denique* enunciativæ, *ut: Petrus est doctus.*

Verum enimvero nec illæ imperfectæ à Logico 6.
curantur, sed perfectæ tantum, nec perfectæ etiam omnes huc pertinent, sed solæ enunciativæ. Ratio in promtu est, quia solæ istæ in veritatis investigatione usum habent & ex solis illis syllogismi constant: solæ enim rem esse vel non esse dicunt.

Est autem enunciatio, Græce ἀποφανσις, *ora-* 7.
tio, quæ verum aut falsum significat, ut: Homo est rationalis, Petrus est lapis: *id enim differt à cæteris orationibus, quod ipsa semper aut verum aut falsum dicat, illæ non dicant.*

Par-

8. Partes *enunciationis sunt tres, subjectum, prædicatum & copula.* Subjectum, τὸ ὑποκείμενον, *est id de quo aliquid dicitur.* Prædicatum, τὸ κατηγορούμενον, *quod de aliquo dicitur.* Copula *verbum substantivum, quod utrumq; connectit, eaq; nonnunquam expressè ponitur, nonnunquam in verbo latet. Sic in hac propositione:* Homo est animal, *subjectum est* homo, *prædicatum* animal, *copula verbum est expressè positum. At cum dicitur:* Homo currit, *copula latet in verbo* currit: *perinde enim est ac si dicas,* est currens.

9. *Nota hîc tam subjectum quam prædicatum interdum una, interdum pluribus vocibus constare. Una constat utrumq; in exemplis allatis. Plures habent in hac enunciatione:* Homo pietate doctrina ac virtute præstans est ab omnibus meritò laudandus & magnificiendus: *subjectum enim hîc est totum illud:* Homo pietate doctrina & virtute præstans, *prædicatum, reliqua omnia quæ copulæ subjiciuntur, nempe:* ab omnibus meritò laudandus & magnificiendus.

10. *Ubi observandum est, quando Subjectum aut Prædicatum pluribus vocibus constat, unam earum semper esse principalem & categorematicam, cæteras minus principales & syncategorematicas. Dicitur autem vox categorematica, quæ per se & vi significationis suæ subjectum verbi personalis vel prædicatum nominis recti esse potest, ut* homo, *albedo.* Syncategore-

tegorematica, *quæ per se subjectum aut prædicatum tale esse nequit, sed tantùm ad alia determinanda adhibetur. Voces categorematicæ sunt nomina substantiva, aut adjectiva substantivè sumpta, & quidem in recto casu posita. Voces syncategorematicæ sunt nomina adjectiva adjectivè sumpta, item casus obliqui nominum substantivorum. Sic vox* homo, *juncta cum verbo personali, fit subjectum nulla aliâ voce additâ, ut,* Homo currit. *Eadem absolvere potest per se prædicatum, ut,* Petrus est homo. *At vox* albus, *item* hominis, *aut similis, non fit subjectum vel prædicatum per se, sed semper alia vox addenda aut subintelligenda est: ut cum dico:* Homo albus currit, *vel,* Equus hominis currit, *aut,* Petrus est homo albus, Petrus est filius hominis *&c.*

Cæterum dividitur enunciatio 1. in simplicem seu categoricam, & conjunctam, seu hypotheticam, 2. in affirmantem & negantem, 3. simplex rursus in absolutam & modalem, & 4. conjuncta in hypotheticam propriè dictam, disjunctivam & copulativam. Hæc est divisio in species, nisi quod simplex & conjuncta secundum analogiam tantum dicuntur: simplex enim primariò enunciatio est, conjuncta secundariò tantùm. Præterea dispescitur ratione subjecti in universalem, particularem, indefinitam & singularem, item ratione tàm subjecti quàm prædicati infinitam & infinitam. Hæc partitio est secundum 11.

acci-

accidentia. Vocatur autem simplex quæ ex aliis enunciationibus non constat, ut: Homo est animal, *conjuncta, quæ ex aliis componitur junctis per particulam unam ex his tribus,* Si, Et, Aut, *ut:* Si Petrus est homo est animal, Petrus & est homo, & est animal, Aut dies est aut nox est, *sicut infra patebit.*

12. *Divisiones priores esse in species, posteriores in accidentia ita probatur: nam sicut in rebus naturalibus corpus simplex totâ specie differt à mixto, ita etiam propositio simplex à conjuncta specie distingui merito censetur. Porro cum in enunciatione subjectum & prædicatum materiæ instar sint & copula instar formæ, fit ut diversitas quæ respectu copulæ est, species distinctas efficiat, quæ respectu subjecti & prædicati, accidentibus tantum differentes. Unde affirmans à negante, absoluta item à modali specie differt: affirmans enim rem esse dicit, negans non esse absoluta; esse simpliciter, modalis cum certo modo. Nihil autem magis essentiale enunciationi est quàm dicere esse & non esse. Quare essentialis etiam differentia est quæ ex eo oritur. Qua autem ex subjecto & prædicato aut utroq; resultat accidentale tantum discrimen parit. Nec obstat quod affirmatio & negatio vulgò qualitas enunciationum vocetur: est enim, non accidentalis, sed essentialis, ut alibi docetur.*

Cap. III.

De

PROPOSITIONE SIMPLICI, ET PRIMO DE EJUS QUALITATE, QUANTITATE, FINITATE AC INFINITATE.

Quid

Quid sit enunciatio & quotuplex dictum est. Nunc ut ordine de ea agatur, de simplici & absoluta primò ac præcipuè tractandum est, ejusq; tum qualitas tùm quantitas, finitas item & infinitas diligenter explicanda. Nec hæc tantum, sed præterea enunciationum illarum subalternatio, oppositio, æquipollentia & conversio: nam ista omnia ad rectè differendum utilia, plerasq; etiam ad formam syllogismi probè constituendam necessaria sunt. Postea de modalibus & conjunctis aliquid addetur. 1.

Est itaq; enunciatio seu propositio affirmans, Græcè κατάφασις, quæ prædicatum subjecto dicit inesse, ut Homo est doctus; negans, ἀπόφασις, quæ dicit non inesse, ut: Homo non est lapis. Posterius autem tum fit, quando particula negans non ad subjectum vel prædicatum sed copulam spectat: nam si aliò respiciat infinitam reddit, non negantem. Ad copulam verò pertinet 1. quando proximè ante eam ponitur, ut: Omnis homo non est lapis. 2 quando præponitur signo seu toti propositioni quæ signum habet, ut: Non omnis homo est doctus, & 3. quando includitur signo ipsi, ut, Nullus homo est lapis. Ad subjectum verò spectat, cum postponitur signo, ut: Omnis non doctus est rudis. Ad prædicatum deniq;, cum postponitur copulæ; ut: Omne animal est non lapis. 2.

Tantum notetur, quum duæ negationes simul 3.

respi-

respiciunt copulam, unam alteram impedire, ut neutra vim suam exerat, i. e. propositionem negantem concinnet. Idq; est quod vulgò dicitur, duas negationes affirmare, ut: Nullus homo non est animal, Non Petrus non est homo: *idem enim significant atq;:* Omnis homo est animal, Petrus est homo. *Si tamen tres negationes ad copulam spectent, negantem propositionem faciunt, ut:* Non Petrus non non est doctus: *idem enim hæc dicit atq; ista:* Petrus non est doctus. *Sed usus loquendi tales propositiones vix admittit. Et ita hæc in Latino sermone se habent: nam apud Græcos duæ negationes fortiùs negant, & interdum etiam tres junguntur. Prioris exempla passim occurrunt. Tale est illud Matth.* v. 18. Ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, Jota unum aut unus apex nequaquam præterierit ex lege. *Et rursus comm.* 26. οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην. Nequaquam exibis illinc, donec solveris ultimum quadrantem. *Posterioris exemplum est illud Comici:* Ὅπου ἀκούει οὐδείς, οὐδὲν οὐδέν. Ubi audit nemo quidquam quenquam, *Tantùm de qualitate.*

4. *Enunciatio* universalis, *Græcè* τὸ καθόλου ἀποφαινόμενον, *est cujus subjecto appositum est signum universale. Sunt autem signa universalia propriè hæc:* Omnis, Quicunque, Quisquis, Unusquisque, Nullus *&c. ut:* Omnis homo est animal,

mal, Quisquis credit salvatur. Nullus homo est lapis. Particularis, τὸ δ' καθόλε ὑποφαινόμενον, *est quæ signum particulare habet, qualia propriè sunt*, Quidam, Aliquis, *ut:* Quidam homo est doctus, Aliquod animal est quadrupes. Indefinita *est, quæ signum nullum habet, cum tamen vel universale vel particulare habere possit, ut:* Homo est animal, Homo est doctus. Singularis *denig; est cujus subjectum est res singularis: (nam in universali particulari & indefinita res universalis est,) ut:* Socrates currit, Hic homo est amicus meus.

Ubi tria notentur 1. quod diximus signa universalia propriè esse τὸ *Omnis, Nullus &c. & particularia* τὸ *Quidam, Aliquis: nam per æquipollentiam universalia etiam hæc sunt:* Non aliquis, non quidam, *& particularia contrà ista:* Non omnis, non nullus, *qua de re infra.* 2. *Aliud esse rem universalem, & aliud propositionem universalem: nam universalis statim propositio non est cujus subjectum res universalis est, e.g.* homo, equus: *tale enim etiam in particulari & indefinita reperitur, sed cum præterea signum universale additur, & quod universale in se est universaliter etiam enunciatur, cum alias idem particulariter quoq; & indefinitè dici possit. Et hoc est quod Arist. vocat* ὅτι τὸ καθόλε ὑποφαίνεσθαι καθόλε καὶ μὴ καθόλε quod universale est universaliter & non universaliter enunciare, *item signum omnis non universale simpliciter, sed quod illud universaliter efferatur, significare.* 3. *Observetur* τὸ omne *dupliciter accipi posse, collectivè & distributivè: collectivè cum dico:* Omnes planetæ sunt septem, *id est, planetæ si colligantur, aut simul sumantur, sunt se-* §.

ptem. Distributivè, ut: Omnis homo est animal, *id est, unusquisq; hominum est animal, etiam seorsim sumptus. Non facit autem enunciationem universalem si collectivè, sed tantum si distributivè accipiatur. Hac etiam de quantitate.*

6. *Enunciatio* finita *est cujus tàm subjectum, quàm prædicatum est terminus finitus, ut:* Homo est animal: infinita, *cujus vel subjectum, vel prædicatum vel utrumq; est terminus seu vox infinita. Si subjectum sit infinitum, vocatur* infinita infiniti subjecti, *si prædicatum,* infinita infiniti prædicati &c. *Infinita infiniti subjecti est hæc:* Omnis qui non est doctus ille est rudis, *infinita infiniti prædicati ista:* Omnis homo est non lapis: *denig; infinita infiniti tam subjecti quam prædicati est:* Omnis non doctus est non Philosophus.

7. *Accuratè autem hic observandum est, ne infinitas cum negantibus confundas. Infinitam constituit particula negans, quando est pars subjecti aut prædicati; negantem eadem particula, sed quum ad copulam non ad subjectum aut prædicatum pertinet. Sic infinita est ista:* Omnis qui non est doctus est rudis, *quia particula negans pars est subjecti. Infinita est & hæc:* Omnis homo est non lapis, *quia particula negans est pars prædicati. At hæc est negans:* Omnis homo non est arbor: *particula enim negativa nec ad subjectum* homo, *nec ad prædicatum* arbor, *sed ad copulam spectat. Particula negans cum propositionem negantem concinnat, negatio negans dicitur, cum infinitam, infinitans.* Ca-

CAPUT IV.
De SUBALTERNATIONE ENUNCIATIONUM.

DE qualitate, quantitate, finitate ac infinitate enunciationum dictum est: nunc de subalternatione, oppositione, æquipollentia & conversione earundem agendum. Illa singulis enunciationibus competunt, hæc inter se collatis. Est autem subalternatio nihil aliud quam inclusio enunciationis particularis in universali idem subjectum ac prædicatum eandemq; qualitatem habente, ut: Omnis homo est animal, Quidam homo est animal, Nullus homo est lapis, Quidam homo non est lapis. *Unde & universalis tum* subalternans, *particularis* subalternata *vocatur.* 1.

Dixi esse inclusionem enunciationis particularis, non singularis: nam etsi hæc: O. homo est animal, *non tantum includit hanc:* Quidam homo est animal, *sed istam etiam:* Paulus est animal, *non tamen ea propriè subalternatio est, cum singularis ista idem subjectum cum universali non habeat, nec universali illi nisi mediante ista particulari includatur.* 2.

Duæ autem regulæ *de subalternatione tenendæ sunt.* Prima *est: Quoties subalternans est vera, toties etiam vera est subalternata. Ita si vera est hæc:* Omnis homo est animal, *vera est & ista:* Quidam homo est animal. *Si item vera hæc:* Nullus 3.

homo est lapis, *vera & ista:* Quidam homo non est lapis.

4. *At non licet invertere, ut quoties vera est subalternata, vera sit etiam subalternans. Sic vera est hæc:* Quidam homo est doctus, *non tamen & ista ejus subalternans:* Omnis homo est doctus: *Vera etiam est:* Quidam homo non est Italus, *nec vera tamen subalternans:* Nullus homo est Italus.

5. Secunda *regula: Quoties subalternata est falsa toties falsa est etiam subalternans. Sic quia falsa est hæc subalternata:* Quidam homo est lapis, *falsa etiam est ista subalternans:* Omnis homo est lapis. *Item si falsa est hæc:* Quidam homo non est animal, *falsa est & ista,* Nullus homo est animal.

6. *Sed neq; hanc regulam invertere licet, ut falsâ subalternante falsam dicas statim & subalternatam. Sic falsa est hæc:* Omnis homo est doctus, *nec tamen falsa subalternata:* Quidam homo est doctus. *Item falsa est subalternans:* Nullus homo est doctus, *sed vera subalternata:* Quidam homo non est doctus.

7. *Ratio utriusque regulæ manifesta est. Et prioris quidem hæc est: nam si omnis homo ex. gr. est animal, jam & hic homo animal est, & ille & iste, cum ita & non aliter, ejusmodi propositio exponatur, ut infra in doctrina de suppositione patebit. Atqui si hic homo est animal, aliquis homo animal est: hic homo enim est aliquis*

quis homo. Similiter si nullus homo est lapis, jam & hic homo non est lapis, & iste non est lapis, & ille. At hunc hominem non esse lapidem est aliquem hominem lapidem non esse: hic homo enim est aliquis homo.

Posterior regula ita probatur: nam si falsum est aliquem hominem esse lapidem, ne unus quidem homo est lapis, nedum omnes esse possint. Similiter si falsum est quendam hominem non esse rationalem, ne unus quidem inter homines est non rationalis, nedum omnes sint tales. 8.

CAPUT V.
De
OPPOSITIONE.

OPPositio *est pugna duarum enunciationum, cum idem de eadem re una affirmat, altera negat. Ejus vulgò quinq; species recensentur, contradictoria, contraria, subcontraria, indefinitarum oppositio & singularis.* 1.

Oppositio contradictoria *est quum una propositionum est universalis affirmans, altera particularis negans, vel una universalis negans, altera particularis affirmans, ut*: Omnis homo est rationalis, Non omnis homo est rationalis, *seu quod idem est*, Quidam homo non est rationalis, *item*: Nullus homo est rationalis, Non nullus homo est rationalis, *vel quod idem est*, Quidam homo est rationalis. 2.

Contraria *est inter duas enunciationes uni-*

versales, ut: Omnis homo est doctus, Nullus homo est doctus.

4. Subcontrariè *opponuntur duæ particulares, ut:* Quidam homo est doctus, Quidam homo non est doctus.

5. Indefinitarum *oppositio est, quando duæ indefinitæ inter se opponuntur, ut:* Homo est animal, Homo non est animal.

6. Singularis *est duarum singularium, ut:* Paulus currit, Paulus non currit.

7. *Cæterum habent singulæ oppositionis species peculiares suas leges, excepta indefinitarum & singularium oppositione: hujus enim conditio est eadem quæ contradictoriæ, illius eadem quæ subcontrariæ vel contradictoriæ, qua de re alibi.*

8. *Contradictoriè oppositarum hæc natura & lex est, ut unâ verâ semper falsa sit altera, & unâ falsâ semper vera altera. Sic si vera est hæc:* Omnis homo est animal, *falsa est ista:* Non O. homo est animal, *sive,* Quidam homo non est animal: *& contra, si falsa est illa:* N. homo est doctus, *vera est ista,* Non nullus homo est doctus *sive,* Quidam homo est doctus, &c.

9. *Contrariæ hanc habent naturam, ut interdum quidem simul falsæ esse possint, at nunquam simul veræ. Ita simul falsæ sunt hæ:* Nullus homo est doctus, Omnis homo est doctus.

10. *Subcontrariæ autem interdum sunt simul veræ, at*

ra, at nunquam simul falsæ. Simul veræ sunt hæ: Quidam homo est doctus, Quidam homo non est doctus.

Ubi præterea 1. *notetur, oppositionem quintuplicem statui, sed ita ut vox illa analogicè de speciebus sub se dicatur, non univocè: nam contradictoria quidem præcipua est & maximè talis: quæ enim ita pugnant nunquam, i. e. nec in veritate nec in falsitate conveniunt. Contrariæ autem & subcontrariæ secundum quid tantum opponuntur: nam interdum, & illæ quidem in falsitate, hæ in veritate, conspirant. Ad contradictoriam autem contrariam & subcontrariam etiam indefinitarum & singularium oppositio revocatur.* II.

Observetur oppositionem contradictoriam præcipuam & formalissimam, ut vocant, hanc esse: Omnis homo est animal, Non O. homo est animal, *item*: N. homo est lapis, Non nullus homo est lapis, *vel*: Quidam homo est doctus, Non quidam homo est doctus, *quum simpliciter scil. id quod una propositio affirmat, altera negat, particula negante toti propositioni prefixâ: secundo autem loco istam, quæ sic concipitur*: O. homo est animal, Q. homo non est animal, N. homo est lapis, Q. homo non est lapis, Quidam homo est doctus, Nullus homo est doctus. 12.

3. *Notandum legem oppositionis contradictoriæ duobus principiis omnium evidentissimis contineri: quod enim amba contradictoria simul vera esse non possint, id nihil aliud est, quam idem non posse simul esse & non esse; quod autem alterutram earum veram esse oporteat, nihil aliud, quam omne, quod concipi mente potest, vel esse vel non esse.* Idem *autem* non posse simul esse & non 13.

esse, *Itē:* Quodlibet aut esse aut non esse, *duo principia sunt naturâ omnium notissima, ut alibi docetur. Unde etiam veritas legis utriusq; aliunde probari nequit, cum per se manifestissima sit. Lex autem oppositionis contrariæ & subcontrariæ demonstrari eget.*

14. *Ubi tamen sciendum 4. est, utrâq; duo distincta pronunciatu includi, primò,* Contrarias aliquando simul falsas esse, *item,* Subcontrarias aliquando simul veras, *deinde,* duas contrarias nunquam esse simul veras, *item,* duas subcontrarias nunquam simul falsas. *Et priora quidem illa, quia particularia sunt, inductione unius exempli satis comprobantur: nam si ex. gr. hæ contrariæ ambæ falsæ sunt:* O. homo est doctus, N. homo est doctus, *istæ item subcontrariæ ambæ veræ:* Q. homo est doctus, Q. homo non est doctus, *jam satis constat aliquas contrarias simul falsas, & aliquas subcontrarias simul veras esse, etiamsi plura exempla (quæ tamen innumera excogitari possunt) non extarent. Alia itaq; confirmatione hæc non indigent. Posteriora autem duo pronunciata, cum universalia sint, non exemplis sed ratione adstruenda sunt: etsi enim exemplo uno & altero rectè ostenditur, hoc aut illud interdum fieri, multis autem exemplis, idem sæpè contingere, quod tamen semper id fiat hoc nec multis nec paucis exemplis probatum datur, sed ad eam rem inductio omnium requiritur, qua quia impossibilis est, ratione confirmandum est quod exemplis non potest.*

15. *Duas ergò contrarias nunquam posse esse simul veras, id assumptis regulis de subalternatione demonstratur inde, quod binæ contradictoriæ non possint esse simul veræ, hoc pacto: Si veræ sunt hæ ambæ:* Omnis homo est animal, &: Nullus homo est animal, *aut similes, veræ etiam sunt istæ duæ:* Quidam homo est animal

nimal, Quidam homo non est animal, *quia sunt priorum illarum subalternatæ; veris autem existentibus subalternationibus veræ etiam sunt subalternatæ, ut ex regulis subalternationis constat. At si istæ etiam sunt veræ, omnes quatuor; atq; adeo binæ contradictoriæ simul veræ erunt, nempe:* Omnis homo est animal, Quidam homo non est animal, *item;* Nullus homo est animal, Quidam homo est animal. *Hæ autem non possunt esse simul veræ. Ergo neq; omnes quatuor, adeoq; nec illæ duæ contrariæ simul veræ esse possunt.*

Schema est tale.

O. homo est animal. *Subalt.* Q. homo est animal

Contradict. *Contradict.*

N. homo est animal. *Subalt.* Q. hōo nō est animal.

Quod autem duæ Subcontrariæ nunquam possint esse simul falsæ, demonstratur vicissim ex lege contrariarum, seu inde quod duæ contrariæ non possint esse simul veræ, hoc pacto: Si ambæ hæ: Quidam homo est doctus, Quidam homo non est doctus, *aut similes, esse possunt falsæ, veræ erunt contradictoriæ illarum, nempe:* Nullus homo est doctus, Omnis homo est doctus. *Sed hæ non possunt esse simul veræ: sunt enim inter se contrariæ. Quare nec illæ duæ subcontrariæ possunt esse simul falsæ.* 16.

Schema est.

Q. homo est doctus

Contradict. *Contradict.*

Q. homo non est doctus

Q homo est doctus, *Contrar.* N. homo est doctus.

CA-

Caput VI.
De
ÆQVIPOLLENTIA.

1. Æquipollentia *propositionum, Græcè* ἰσοδυνα-
μία *duplex est, propriè & improprie dicta: il-
la, æquipollentia simpliciter, hæc consecutio infinita-
rum ad finitas, Græcis* ἀπολλθία, *appellatur. Est au-
tem æquipollentia proprie dicta nihil aliud quam
quum duæ pluresve propositiones ejusdem subjecti &
prædicati, quantitatis item ac qualitatis, ita unum-
demq; significant, ut signo tantum & particula ne-
gante aut alio atq; alio hujus positu discriminentur.
Talis est inter has enunciationes:* O. homo est ani-
mal, N. homo non est animal, Non quidam homo
non est animal: *omnes enim idem subjectum & præ-
dicatum habent, omnes item universales affirmantes
sunt, & omnes idem prorsus significant. Tantum pri-
ma & secunda signum universale, ultima particula-
re, prima item particulam negantem nullam, ambæ
autem cæteræ geminam habent. Eodem modo æqui-
pollent hæ:* N. homo est lapis, Non Q. homo est la-
pis. O. homo non est lapis, *ut & istæ:* Q. homo e-
doctus, Non nullus homo est doctus, Non O. ho-
mo non est doctus.

2. *Constituitur autem propositio una alteri æqui-
pollens primò ex ejus contradictoria, secundò ex con-
tra-*

traria (si tamen aliquam habet,) tertiò ex subalternante vel subalternata. Ex contradictoria quidem fit æquipollens, si particula negans præponatur signo, ex contraria si præponatur copulæ, ex subalternante seu subalternata, si præponatur & signo & copulæ. Sic huic: Omnis homo est doctus, *æquipollentem conficis ex contradictoria ejus, (Quidam homo non est doctus) hanc:* Non quidam homo non est doctus. *Conficere etiam potes ex contraria, (Nullus homo est doctus) ita:* Nullus homo non est doctus; *deniq; ex subalternata quoq;, (Quidam homo est doctus) sic:* Non quidam homo non est doctus. *Similiter huic:* Quidam homo non est doctus, *æquipollens fit ex contradictoria ejus, (Omnis homo est doctus) hæc:* Non omnis homo est doctus, *ex subalternante autem (nam contrariam non habet) quæ est ista, Nullus homo est doctus, ita:* Non nullus homo non est doctus. *Hoc pacto fiunt æquipollentes, nec alius tradi modus potest certus & firmus.*

Causa autem quare particula negans præposita toti enunciationi contradictoriam contradictoriæ præposita copulæ, seu postposita signo & subjecto, contrariam contrariæ, & denique præposita & postposita, subalternantem subalternatæ vel contrà hanc illi æquipollentem reddat, ista est, quod negatio negans destruat in propositione quicquid post se invenit. Præposita itaque signo totiq; enunciationi primo signum 3.

Uni-

Universale in particulare, particulare in universale, secundò affirmationem in negationem convertit, i.e. tam qualitatem quam quantitatem pristinam destruit. Quod cum fit propositiones, quæ dudum contradictoriæ erant, i.e. tam ratione quantitatis quàm qualitatis pugnabant, æquipollentes redduntur. Cum autem non signo sed copulæ præponitur, signum & quantitatem quidem intactam relinquit, quia hanc post se non invenit; sed qualitatem contrariam inducit, ut statim duæ contrariæ, quia sola qualitate pugnabant, coincidere incipiant: denig; cum præponitur tam signo quam copulæ, ea quæ signo præfigitur quantitatem mutat: sed quia etiam simul mutaret qualitatem, quam itidem post se invenit, negatio altera apponitur copulæ, ut vim prioris retundat: ita enim fit, ut cum duæ negationes ambæ ad copulam spectent, una alteram impediat, & propositionem negantem reddere nequeant. Quare tũ sola quantitate immutata subalternans subalternatæ æquipollens fit, quia tales tantum quantitate dissident.

4. *Cæterum ut memoriæ eo rectius omnia imprimantur, his versibus ratio æquipollentia tum signorum tum ipsarum propositionum includi solet:*

"Non omnis, quidam-non; omnis-non, quasi nullus;
"Non-nullus, quidam; sed nullus-non valet omnis;

Non

Non-aliquis, nullus; non quidam non, valet omnis.

Æquipollentia impropriè dicta oritur ex permutatione terminorum finitorum cum infinitis, & multum differt à propriè dictâ: hæc enim eosdem planè terminos & eandem qualitatem retinet, mutatis tantùm signis, & appositâ vel ademtâ particulâ negante. *Æquipollentia autem impropriè dicta* signa retinet, qualitatem autem & terminos immutat, non sanè ut planè alios, sed pro finito infinitum, & contra substituat. Eadem etiam per negationem infinitantem fit, cum æquipollentia propriè dicta tantùm fiat per negationem negantem. 5.

Hac ratione æquipollent Universalis affirmans finiti prædicati, & Universalis negans infiniti prædicati, *ut*: Omnis homo est animal, Nullus homo est non animal; *item* universalis negans prædicati finiti, & universalis affirmans infiniti prædicati, *ut*: Nullus homo est lapis, Omnis homo est non lapis. *Similiter particularis affirmans finiti prædicati ac particularis negans infiniti prædicati, ut*: Q. homo est doctus, Q. homo non est non doctus. *Denique particularis negans finiti prædicati ac particularis affirmans infiniti prædicati, ut*: Q. homo non est doctus, & Q. homo est non doctus. 6.

Fundamentum hujus æquipollentiæ seu consecutionis est istud: Negatio unius termini contra- 7.

traditorii importat affirmationem alterius & contrà : *nam si rectè negas* doctum *de Petro vel omni aut aliquo homine , rectè etiam de eodem affirmaris* τὸ non doctum. *Similiter si rectè affirmas* τὸ non doctum *de Petro vel omni aut aliquo homine, rectè etiã de eodem Petro vel omni aut aliquo homine negabis* τὸ doctum. *Unde tota vis æquipollentiæ istius sita est in convenientia horum paucorum verborum:* Esse non & non esse, *item,* non esse non, &, esse. *Nam* τὸ *esse non doctum idem est atq; non esse doctum , &* τὸ *non esse non doctum idem atq; esse doctum.*

CAPUT VII.
De
CONVERSIONE.

I. COnversio *enunciationum , Græcè* ἀντιστροφὴ, *est quum salva veritate ex subjecto enunciationis fit prædicatum , & ex prædicato subjectum , ut si dicas :* Nullus homo est lapis, Nullus lapis est homo. *Utraq; vera est, sed subjectum prioris fit prædicatum posterioris , & prædicatum prioris fit subjectum posterioris. Quæ convertitur dicitur* conversa. *in quam autem convertitur, seu per quam convertitur,* convertens.

II. *Est autem conversio* triplex. *Simplex* ἁπλῆ. *Per accidens ,* κατὰ συμβεβηκὸς, *& per Contrapositionem ,* καθ' ἀντίθεσιν.

Con-

Conversio simplex *est quum simpliciter ex subjecto fit prædicatum & ex prædicato subjectum manente eadem quantitate & qualitate enunciationum. Hac convertitur* universalis negans, & particularis affirmans. *Sic hæc universalis negans:* Nullus homo est lapis, *convertitur in istam universalem similiter & negantem:* Nullus lapis est homo. *Et hæc particularis affirmans:* Quidam homo est doctus, *in istam itidem particularem affirmantem:* Quoddam doctum est homo. 3.

Conversio per accidens *est quum ita convertitur enunciatio, ut maneat eadem qualitas sed mutetur quantitas. Hac convertitur* universalis affirmans *in particularem affirmantem, ut:* Omnis homo est bipes, Quoddam bipes est homo. *Non potest autem universalis affirmans converti universaliter, ut universalis negans, quia alias verâ existente conversâ falsa fiat convertens. Sic vera est conversa illa:* Omnis homo est bipes, *falsa autem convertens:* Omne bipes est homo, *cum etiam gallinæ, ciconiæ, corvi bipedes sint.* 4.

Conversio per contrapositionem dicitur, quum termini ita translocantur, ut etiam contraponuntur h. e. loco finitorum ponantur infiniti. Hac convertuntur universalis affirmans & particularis negans. Instituitur autem formalissimè sic in universali affirmante: 5.

Omnis

Omnis homo est animal,

E.

Omne non-animal est non homo. *Sed quia convertens illa:* Omne-non animal est non-homo, *æquipollentem habet istam:*

Omne non-animal non est homo, *etiam sic conversio instituitur.*

Omnis homo est animal,

E.

Omne non-animal non est homo.

6. *Similiter formalissimè convertitur per Contrapositionem etiam particularis negans, ita:*

Quidam homo non est doctus,

E.

Quoddam non-doctum non est non homo.

Per æquipollentiam verò ita:

Quidam homo non est doctus.

E.

7. Quoddam non-doctum est homo. *nam & illæ:* Quoddam non-doctum non est non homo, *&:* Quoddam non doctum est homo *æquipollent seu ad se invicem consequuntur. Prior genus est magis formale inquam, & immediatum sed utrumq; legitimum, & posterius etiam ad reductiones syllogismorum magis utile.*

Ubi duo nota, 1. conversionem per contrapositionem 7.
non planè idem subjectum & prædicatum retinere, sed pro finitis terminis infinitos substituere. 2. quomodo de conversione in universum omni probetur eam legitimam esse. Est autem talis, cum quoties vera est conversa, vera etiam existit convertens.

Idq; de conversione simplici demonstratur sic: Quo- 8.
ties vera est hæc conversa: Nullus homo est lapis, *vera etiam est illa convertens:* Nullus lapis est homo, *vel ejus contradictoria ista:* Quidam lapis est homo. *At non contradictoria ista: hæc enim complicata cum conversa illa absurdum concludit, nempe:*

Nullus homo est lapis,
Quidam lapis est homo,
E.
Quidam lapis non est lapis.

Quare convertens illa vera est cum sua convertente, i.e. conversio legitima est.

Similiter quoties vera est ista conversa: Quidam ho- 9.
mo est doctus, *vel vera est ejus convertens:* Quidam doctus est homo, *vel istius contradictoria:* Nullus doctus est homo. *At hæc non potest vera esse cum conversa, quia duæ hæ complicatæ absurdum iterum concludunt hoc pacto:*

Nullus doctus est homo,
Quidam homo est doctus,
E.
Quidam homo non est homo.

Ideo convertens illa est vera quoties vera est conversa.

Idem de conversione per accidens probatur ita: 10.
Quoties vera est hæc conversa: Omnis homo est animal, *vera est etiam convertens ista:* Quoddam animal

est homo, *vel istius contradictoria*: Nullum animal est homo. *Sed hac non potest consistere cum conversa: tale quid enim, si conjungantur, concludunt:*

Nullum animal est homo,
Omnis homo est animal,
E. Nullus homo est homo.

Igitur convertens ipsa vera est quoties conversa.

II. *Postremò de conversione per contrapositionem sic ostenditur: Quoties vera est hac*: Omnis homo est animal, *vera etiam est illius convertens*: Omne non-animal est non-homo, *vel istius contradictoria*: Quoddam non animal non est non-homo. *Sed non hac, quia alioqui etiam contradictoria istius æquipollens:* Quoddam non animal est homo, *vera esset. Atqui ex ista æquipollente & conversa ita concludetur:*

Omnis homo est animal
Quoddam non animal est homo
E. Quoddam non animal est animal.

Non ergo contradictoria illa convertentis vera est cum conversa, sed ipsa convertens.

12. *Similiter quoties vera est hac conversa*: Quidam homo non est doctus, *vera est etiam vel istius convertens*: Quoddam non doctum non est non homo, *vel ejus contradictoria*: Omne non doctum est non homo. *Sed hac non potest esse vera cum conversa, alioqui etiam contradictoria illius æquipollens:* Omne non doctum non est homo, *vera esset cum eadem, quæ tamen cum illa juncta ita concludit:*

Omne non doctum non est homo
Quidam homo non est doctus
E. Quidam homo non est homo.

Non

Non ita autem contradictoria illius convertentis est vera quoties conversa, sed ipsa convertens.

Eodem modo res demonstratur etiam de cæteris con- 13.
vertentibus, puta qua ita habent:

Omne non animal non est homo,
Quoddam non doctum est homo.

Tantùm notetur, in his demonstrationibus conversionis per contrapositionem semper æquipollentem contradictoriæ addendam, ut patuit, aliàs syllogismus ille ad incommodum ducens hic formari nequit. Notetur etiam syllogismos illos omnes legitimam formam habere etiamsi nonnunquam duobus tantùm terminis constare videantur: unus enim terminus duorum instar geminatur & talis ratio consequentiæ tum est, qualis est cum ex oppositis argumentamur, puta:

Omnis dialectica est ars
Nulla dialectica est ars
E. Nulla dialectica est dialectica.

de qua ratione probandi agit Arist. lib. 2. prior. cap. 8.

Hactenus de propositionibus absolutis. Tantum 14.
addatur hoc, oppositionem enunciationum hunc usum habere, ut & ex veritate vel falsitate unius oppositarum judicetur de veritate aut falsitate alterius; æquipollentiam verò & conversionem, ut copia propositionum suppetat; & si quæ obscurior est ei dilucidior statim substitui possit, quæ res magnum ad rectè differendum & disputandum momentum continet.

Cap. IIX.
De
ENUNCIATIONIBUS MODALIBUS.

1. *Dictum est suprà, enunciationem simplicem esse vel absolutam vel modalem. De absolutis egimus: nunc aliquid de modalibus addendum.*

2. *Recolendum autem hic est, enunciationem modalem id differre ab absoluta, quod absoluta absolutè rem esse aut non esse dicat, modalis cum certa aliqua determinatione. Sic absolutè rem esse dicit qui ait:* Homo est animal, *at cum determinatione, qui ait:* Necesse est hominem esse animal, *seu* Homo necessariò est animal.

3. *Determinatio illa est modus. Unde duo distinguenda sunt in enunciatione modali, dictum & modus.* Dictum *appellatur enunciatio absoluta, cui apponitur modus. Modus est unum ex his:* Necesse est, contingit, possibile est & impossibile est. *Sic in hac enunciatione:* Necesse est hominem esse animal, *dictum est,* hominem esse animal, *modus:* necesse est.

4. *Ubi notetur 1. doctrinam tam de propositionibus quàm syllogismis modalibus difficiliorem quidem esse rariorem; in disciplinis usum habere, quàm illam de propositionibus & argumentationibus absolutis: prætermitti tamen propterea nullatenus debere: nam cum in disciplinis*

nis non res tantum absolutè sed necessariò sapè aut contingenter esse asserantur, alia item posse fieri dicantur, etiamsi reipsa non fiant, alia ἐκ τῶν ἀδυνάτων esse, ut fieri prorsus nequeant, deq; his graves sæpe controversiæ existant, & propositionum illarum, & quæ ex his conficiuntur argumentationum naturam ac rationem perspectam habere decet, ne hallucineris, idq; eò magis, quò facilior in talibus est lapsus. Certè ipsa S. Scriptura, ut Philosophicas doctrinas nunc omittam, enunciationibus modalibus utitur, quales sunt hæ: Necesse est evenire scandala, *Matth.* XVIII. 7. Non contingit non evenire scandala, Luc. XVII. 1. Non contingit Prophetam perire extra Hierusalem *Luc.* XIII. 33. Impossibile est eos qui semel illuminati fuerint — denuò renovari ad pœnitentiam. *Hebr.* VI. 4. Impossibile est Deum mentiri, *Ibid.* 18. Impossibile est Deo placere sine fide *Hebr.* XI. 6. *Unde similiter Theologi multas tales habent & in arduis quidem religionis nostræ capitibus, ut:* Necesse est evenire quod Deus futurum prævidit, Necesse est prædestinatum salvari. Impossibile est Dei scientiam falli, Contingit credentem excidere fide, Possibile est eum qui nunc in gratia est postea damnari, *&c.*

Observetur 2. nonnulla esse quæ speciem modorum habeant, sed modi revera non sint, ut si dicas: Omnem hominem esse animal verum est, Homines ex saxis natos esse falsum est: *non enim in iis determinatur quomodo prædicatum subjecto vel insit, vel non insit, sed simpliciter tantum inesse vel non inesse asseritur, ut in absoluta. Unde Arist. etiam 1. prior. cap. ult. verum & falsum cum ipso verbo* est *coincidere ait. Non ita q; modales sunt illæ, sed absolutæ. Similes his sunt, quæ modum* credibile *est,* incredibile, *aut hujusmodi alium habent.* 6.

7. 3. *Notetur nec illas esse modales ubi vel totum subjectum aut prædicatum est unus ex veris illis modis, vel hic ad alterutrum terminum pertinet, sed eas tantum, ubi illi nec terminus ipse nec pars ejus sunt sed ad copulam spectant. Prioris generis sunt hæ*: Necessarium non est contingens, Possibile non est impossibile: *posterioris ista*: Quod necessariò fit æquo est animo ferendum. Quod contingit doctum esse, est homo. Homo est substantia, quàm necesse est rationalem esse, vel quam contingit esse doctam: *cum enim non copula propositionis sed subjectum & prædicatum modum habeant, non modaliter sed absolutè aliquid esse dicunt. Modalis autem appellatur, quæ non absolutè aut esse aut non esse quippiam dicit, sed certo modo, quod non sit nisi is ad copulam dicti spectet eamq; determinet, sicut in his*: Necesse est Philosophum esse doctum, Contingit hominem esse albū, *item*: Philosophus necessariò est doctus, Homo contingenter est albus, *manifestò ad eam spectat*: *nec enim cum necesse esse dicitur, ut Philosophus sit doctus, aut contingens ut idem sit albus, de necessitate vel contingentia rerum ipsarum, id est, philosophiæ vel doctrinæ, sed connexionis quæ, in propositione est, & per copulam exprimitur, sermo est. Cum autem adverbialiter effertur & dicitur*: Homo necessario est animal, Homo contingenter est doctus, *manifestius illud adhuc est*: *sicut enim cum dico*: Homo omninò est animal, Petrus certissimè est doctus, Homerus facilè est poëtarum princeps, *particulæ illæ* omninò, certissimè, facilè, *tantummodo ad copulam spectant, non ad prædicatum, nec aliud natura ipsius sermonis admittit*: (*nam* omninò esse, certissimè esse, facilè esse, *rectè dicitur*: omninò *autem* animal, certissimè animal, facilè princeps, *nihil sunt & constructionem nullam habent*:) *ita etiam de modis illis necessariò & contingenter in allatis propositionibus & similibus comparatum est. Unde Logici communiter modum determinationem non prædicati aut subjecti in dicto,*

sed

sed compositionis dicti vocant, exprimentem specialem habitudinem terminorum ad se invicem. Intellige autem omnia hæc de subjecto & prædicato dicti: nam si totam propositionem modalem consideres, præsertim ut modus nomen vel verbum est, totum dictum subjecti & modum prædicati instar esse ipse Arist. 2. de interpr. c. 3. ait.

4. Observetur propositionem modalem specie distingui ab absoluta: nam cum nihil magis essentiale propositioni sit, quàm dicere esse & non esse, adeoq; copula sit forma ejus, essentiale utiq; discrimen est quum hic aliquid variat, & nunc absolutè & sine modo, nunc cum eo esse vel non esse dicitur. Unde etiam tam qualitas quam quantitas, oppositio item & æquipollentia in modalibus aliter se habent quàm in absolutis. 7.

5. Notetur, quamvis propositiones modales sint non tantum cum modus earum nominaliter aut verbaliter effertur, sed etiam cum adverbialiter: sola tamen priori formulæ eas ab Aristotele tradi & explicari, idq; sic faciendum esse, ut omnes complectaris: etsi enim necessariæ & contingentes utroq; modo concipi possunt: non tamen possibiles & impossibiles. Sic rectè quidem pro, Necesse est O. hominem esse animal, *dicis:* O homo necessariò est animal, *rectè item nonnunquam pro:* Contingit hominem esse doctum, Homo contingenter est doctus, *at barbarè & absurdè:* Petrus possibiliter est consul, Petrus impossibiliter est lapis, pro, Possibile est Petrum esse consulem, Impossibile est Petrum esse lapidem. 8.

Vocatur autem necessarium *quod non potest non esse*, contingens *quod potest esse & non esse*, 9.

U.B. Rost.

possibile, *quod potest esse*, impossibile, *quod esse plane nequit.*

10. Qualitas *modalium duplex est, alia quæ concernit modum, alia quæ dictum. Prior est cum modus affirmatur, aut negatur, posterior cum dictum. Sic ratione modi affirmant hæ omnes:* Necesse est Socratem esse hominem, Possibile est Socratem esse doctum, Contingit Socratem ambulare, Impossibile est Socratem esse æqvum: *imo istæ quoq;:* Necesse est Socratem non esse lapidem, possibile est aut contingit Socratem non esse doctum: *quamquam enim in his postremis dictum negans est, modus tamen non negatur. Negantes sunt hæ:* Non necesse est hominem esse doctum, Non possibile est hominem esse lapidem, Non contingit hominem esse animal, Non impossibile est, &c. *Quæ autem ratione dicti affirment aut negent, per se notum est.*

11. Quantitas *similiter se habet ut qualitas: nam & ipsa duplex est, una modi, altera dicti. Quantitas dicti ex doctrina absolutarum enunciationum nota est. Quæ autem modum spectat sic se habet. Universales modi sunt*, Necesse, Impossibile, *particulares*, Contingit, Possibile. *Caussa est, quod necessarium & impossibile complectantur omne tempus cæteri duo modi aliquod tantum: necessarium enim perpetuò remponit, impossibile perpetuò tollit: at*

possi-

possibile & contingens nonnunquam rem esse, nonnunquam non esse significant.

Universales itaque in modalibus sunt non tantum hæ: Necesse est omnem hominem esse animal, impossibile est nullum hominem esse lapidem: *sed & istæ*: Necesse est aliquem hominem esse animal, Impossibile est aliquem hominem esse lapidem. *Particulares similiter non tantum illæ:* Contingit aut possibile est quendam hominem esse doctum, *sed istæ quoque*: Contingit omnem hominem esse doctũ, Possibile est nullum hominem esse doctum. 12.

Ubi observetur, propterea utramq; qualitatem & quantitatem in modalibus notandam esse, non quod simul & semel utraq; in singulis propositionibus spectari possit: ita enim una eademq; propositio simul affirmans & negans; universalis & particularis sit, sed quod uno in loco una qualitas aut quantitas, nempe modi, altero altera, nempe dicti, præcipuè attendenda sit. Sic in oppositione principaliter spectatur qualitas & quantitas modi. In conversione præcipuè imò tantum quantitas & qualitas dicti; in æquipollentia deniq; certa ratione utrumq;. 13.

Oppositio modalium easdem quidem leges habet, quas oppositio absolutarum, sed rationem opponendi diversam propter diversam conditionem qualitatis & quantitatis, quia ibi non modi tantum sed & dicti ratio habenda est. Sanè si dictum sit singulare *non est tanta difficultas:* contradictoriæ e- 14.

nim sunt propositiones, quæ eosdem modos contradicentes & dictum unum idemq; habent, ut: Necesse est Socratem esse hominem, Non necesse est
p. 63. Socratem esse hominem; contrariæ *verò, quæ modos eosdem universales & ejusdem qualitatis, sed dicta contradicentia habent, ut:* Necesse est Socratem esse doctum, Necesse est Socratem non esse doctum. Subcontrariæ *denique, quæ modos eosdem particulares & ejusdem qualitatis habent, dicta verò itidem contradicentia, ut:* Contingit Socratem ambulare, Contingit Socratem non ambulare.

15. *Quod si autem dictum sit commune, majori cautione, præsertim in contrariis & subcontrariis, opus est. Nam* contradictoriæ *fiunt, si modi sint iidem, & dicta eadem, tantumque modus unus negetur cum alter affirmatur, ut,* N. est O. hominem esse doctum, Non N. est O. hominem esse doctum. Possibile est Q. hominem esse doctum. Non possibile est Q. hominem esse doctum. Impossibile est omnem hominem esse animal. Non impossibile est omnem hominem esse animal. *At de contrariis & subcontrariis aliter res se habet: nam* contrariæ *modum eundem universalem, &* subcontrariæ *modum eundem particularem habent, sed dicta in propositionibus necessariis vel contradictoria vel contraria esse debent, nunquam subcontraria, in propositionibus autem*

autem contingentibus possibilibus & impossibilibus contradicentia & subcontraria, nunquam contraria. Sic contrariè opponuntur hæ: Necesse est O. hominem esse doctum, Necesse est Q. hominem non esse doctum. *Item:* Necesse est O. hominem esse doctum, Necesse est N. hominem esse doctum; *subcontrariè istæ:* Non necesse est omnem hominem esse doctum; Non necesse est quendam hominem non esse doctum; *Item:* Non necesse est O. hominem ambulare, Non necesse est nullum hominem ambulare. *Similiter contrariè opponuntur hæ:* Impossibile est O. hominem esse doctum, Impossibile est Q. hominem non esse doctum, *Item:* Impossibile est Q. hominem esse doctum, Impossibile est Q. hominem non esse doctum. *Subcontrariè autem istæ:* Possibile est N. hominem ambulare, Possibile est Q. hominem ambulare. *Item:* Possibile est Q. hominem esse doctum, Possibile est Q. hominem non esse doctum.

Quod si autem ita dicas: Necesse est Q. 16 elementum esse humidum, Necesse est Q. elementum non esse humidum, *contrariæ non sunt, quia ambæ veræ sunt. Causa est, quod in propositionibus necessariis dicta contrarium non subcontraria sed contradicentia esse debent. Similiter si dicas:* Impossibile est O. elementum esse humidum.

Im-

Impossibile est N. elementum esse humidum, *rursu*
ambæ verâ sunt, etsi alias contrariæ videntur, Caus
est quod dicta contraria sunt, & tamen modum ha
bent Impossibile.

17. *Ubi tamen observetur, modum contingentis & hu*
& in æquipollentia ac conversione accipiendum ea significa
tione qua idem denotat atq; possibile: dupliciter enim cap
potest, uno modo pro possibili, altero pro eo quod tam potes
esse quàm non esse, cum possibile denotet tantum, quod pote
esse. posterius solet vocari contingens ad utrumlibet, cujus
ratio tam perplexa est, ut certis regulis astringi nequeat.
Sic quod supra diximus subcontrarias esse de dictis singularib
bus, ubi modi sunt iidem particulares & ejusdem qualitatis
& dicta contradicentia, verum est etiam de modo contingen
tis si accipiatur pro possibili. Si autem capias pro contingen
ti ad utrumlibet non valet, ut si dicas: Contingit Socratem
esse animal, Contingit Socratem non esse animal: *utraq;*
enim falsa est, nam non contingit sed necessarium est Socra
tem esse animal, nec contingit sed impossibile est Socratem
non esse animal.

18. Æquipollentia *ita conficitur, si observes duas*
regulas sequentes. Primò *ut modi omnes sint ejus*
dem quantitatis. Fit autem modus universalis par
ticularis, & particularis contrà universalis, si negativ
præponatur, ut etiam de signis se res habet in absolu
tis. Secundò, *ut dicta enunciationum ex possibili*
contingenti & impossibili contradicant dicto enun
ciationis ex necessario.

Pos

Possunt autem quatuor constitui tabellæ. 19.

Prima est.

Necesse est O. hominem esse animal,
Non contingit Q. hominem non esse animal,
Non possibile est Q. hominem non esse animal,
Impossibile est Q. hominem non esse animal.

Secunda.

Non necesse est N. hominem esse animal.
Contingit Q. hominem esse animal.
Possibile est Q. hominem esse animal.
Non impossibile est Q. hominem esse animal.

Tertia.

Necesse est N. hominem esse animal.
Non contingit Q. hominem esse animal.
Non possibile est Q. hominem esse animal.
Impossibile est Q. hominem esse animal.

Quarta.

Non necesse est O. hominem esse animal.
Contingit Q. hominem non esse animal.
Possibile est Q. hominem non esse animal.
Non impossibile est Q. hominem non esse animal.

Conversio *Modalium apud Aristotelem insti-* 20.
tuitur eodem ferè modo, quo conversio absolutarum:
non enim spectatur modus, sed tantùm dictum.

Sic

Sic hæc universalis negans : Necesse est nullum hominem esse lapidem, *convertitur in istam :* Necesse est nullum lapidem esse hominem, *item hæc particularis affirmans :* Necesse est quendam hominem esse animal, *in istam :* Necesse est quodam animal esse hominem. *Similiter hæc :* Possibile est nullum hominem esse doctum, *convertitur in istam :* Possibile est nullum doctum esse hominem, *& sic deinceps. Tantum difficultas est, ubi modi sunt negantes : quin etiam aliqua in his ipsis, ubi modi affirmantes sunt ; sed ea de re alibi agitur.*

21. *Tantum hic in mentem revocetur quod supra dixi-* *mus, aliam rationem, ut quantitatis & qualitatis, ita & oppositionis atq; æquipollentiæ in modalibus esse, quàm est in absolutis. Sic in absolutis quidem oppositio singularis est hæc :* Socrates est doctus, Socrates non est doctus *& eadem cum contradictoria legem habet. At cum dico :* Necesse est Socratem esse doctum, Necesse est Socratem non esse doctum, *contraria oppositio est : non enim, ut dudum, unâ verâ altera indubitatò falsa est, sed ambæ tales falsæ sunt, quod in nulla præterquam contrariæ oppositione, contingit. Eadem ratio est si dicas :* Impossibile est Socratem esse doctum, Impossibile est Socratem non esse doctum. *Similiter in absolutis est oppositio contradictoria si dicas :* O. homo est doctus, Q. homo non est doctus. *Cum autem modum necessarii addis & sic effers :* Necesse est O. hominem esse doctum. Necesse est Q. hominem non esse doctum, *rursus contraria oppositio inde nascitur. Si deniq; modo possibilis utaris & dicas :* Possibile est O. hominem esse doctum

doctum, Poss. est Q. hom. non esse doctum, *subcontrariæ est nam illæ ambæ falsæ, hæ ambæ veræ sunt. Contrarietas autem & illic & suprà non ex universalitate dictorum, sed modorum, necessarii & impossibilis, oritur, ut & subcontrarietas hîc ex modo particulari possibilis.*

Sed nec æquipollentia modalium convenit cum æquipollentia absolutarum, cum & ipsa præcipuè à modis dependeat. Sane si dixeris: Necesse est O. hominem esse animal, Necesse N. hominem non esse animal, *æquipollentia est, eaq; ex dictis illarum propositionum oritur, nec alia est quam absolutarum. Sed præcipua & modalibus propria est illa:* Necesse est O. hominem esse animal, Non contingit, Non possibile est, Impossibile est quendam hominem non esse animal: *non minus enim hæ quam illæ æquipollent: nec minus formalis æquipollentia est, quam absolutarum: non tantum enim omni omninò materiæ apta est ut illa, cum tam in falsis quam veris eadem sit, sed tota ex modorum ac signorum ratione pendet. Quod autem propositio modum habeat, quodq; universalis aut particularis sit, ad formalem utriq; ejus considerationem spectat. Adde, quod æquipollentia illa ad propositionum modalium unam alteri substituendam non minus necessaria sit, quàm illa absolutarum ad copiam absolutarum in promptu habendam: ad quam rem ea quæ dictum tantum concernit parum vel nihil confert. Unde non minus frequens modalis illa est in modalibus, quam absolutarum in absolutis. Certè talis est inter hæ propositiones quæ suprà ex S. Scriptura allatæ sunt:* Necesse est evenire scandala, Non contingit non evenire scandala, *cui similes passim occurrunt.* 22.

CAP.

Caput IX.
De
ENUNCIATIONE CONJUNCTA SEU HYPOTHETICA.

1. ENunciationem *conjunctam, seu hypotheticam latè dictam, esse eam quæ ex aliis enunciationibus componatur, suprà monuimus. Diximus etiam tres ejus esse species, conditionalem seu hypotheticam propriè dictam, disjunctivam & copulativam.*

2. *Hoc loco id præterea nota, conjunctas componi plerumq; quidem ex aliis simplicibus enunciationibus, ut:* Si Petrus est homo est animal, *interdum tamen etiam ex aliis conjunctis, ut:* Si Petrus est animal vel est rationale vel est irrationale.

3. Conditionalis *seu hypothetica propriè dicta est, quum duæ enunciationes simplices connectuntur per conjunctionem* Si, *ut:* Si homo est animal est. *Partes ea habet antecedens & consequens:* antecedens *est enunciatio simplex, quæ supponitur*, consequens, *simplex quæ consequitur.*

4. Vera *est vel* falsa, *non si simplices veræ aut falsæ sint, sed si verè vel falsò una ad alteram consequatur. Ita hæc vera est:* Si lapis est homo, est animal: *posito enim quod lapis sit homo verè conse-*

qui-

quitur animal eum esse. *Et tamen falsissima est utraq; simplex, puta:* Lapis est homo, Lapis est animal. *At falsa est hæc:* Si Petrus est doctus est Jurisconsultus: *nec enim unum ad alterum sequitur, etsi utraq; simplex vera esse potest, videlicet:* Petrus est doctus, Petrus est Jurisconsultus.

Disjunctiva *est quum duæ aut plures enunciationes simplices connectuntur per particulam disjunctivam,* Aut, Vel, *& similem: ut:* Petrus aut est doctus aut non est doctus. 5.

Vera *est, cum una simplicium est vera & altera vel reliquæ (si ex pluribus quàm duabus constet) falsæ.* Falsa, *cum utraq; vel omnes simplices falsæ sunt, imò etiam cum omnes simplices veræ. Sic vera est hæc:* Petrus aut est doctus, aut non est doctus, *alterutrum enim de eo verum esse oportet. At falsa est hæc:* Petrus aut est Italus aut Germanus: *utrumq; enim falsum esse potest. Falsa item, seu inepta potius, ista:* Petrus aut est homo, aut est rationalis: *utrumque enim horum verum est non alterutrum.* 6.

Copulativa *est cum duæ vel plures enunciationes simplices connectuntur per particulam copulativam* Et, *ut:* Petrus & est animal & est rationalis. 7.

Vera *est si utraq; vel omnes simplices veræ sint;* falsa *si falsa existat vel una earum. Sic vera* 8.

est hæc: Homo & est rationalis & risibilis & disciplinarum capax: *veræ enim sunt omnes simplices ex quibus componitur, scilicet:* Homo est rationalis, Homo est risibilis, Homo est disciplinarum capax. *At falsa est ista:* Homo & est rationalis & disciplinarum capax & lapis: *ultima enim simplicium falsa est.*

9. *Porrò considerandæ in conjunctis sunt* qualitas *tantum* & oppositio: *quantitatem enim, æquipollentiam & conversionem propriè non habent, vel si habent, intricatiores sunt quàm ut usui esse possint.*

10. *Non dependet autem qualitas earum à partibus conjunctæ affirmatis vel negatis, sed in eo consistit, ut ipsa connexio partium sive simplicium enunciationum affirmetur vel negetur. Sic affirmans conditionalis non tantùm est hæc:* Si Petrus est homo est animal, *cujus simplices sunt affirmantes, sed ista etiam:* Si non est homo non est doctus. *Similiter affirmat hæc disjunctiva:* Petrus aut non est doctus aut est doctus, *& ista copulativa:* Petrus & non est doctus & non est Mathematicus. *Negantes autem sunt hæ:* Non si Petrus est homo est animal, Non si non est homo non est doctus, Non, Petrus aut non est doctus aut est doctus *&c. Negantes enim non sunt conjunctæ, nisi particula negans toti enunciationi præponatur.*

Op-

Oppositio *conjunctarum tantùm contradictoria est. Fit autem contradictio si una simpliciter neget quod affirmat altera. Sic contradictoriæ sunt ex hypotheticis hæ:* Si animal volat habet alas, Non si animal volat habet alas, *ex disjunctivis istæ:* Homo aut est rationalis aut irrationalis, Non aut homo est rationalis, aut irrationalis. *Ex copulativis deniq; hæ:* Et homo est rationalis & lapis: Non & homo est rationalis & lapis. 11.

Unum illud hic addo, quàm necessarium sit, ut propositio hypothetica rectè distinguatur à categorica seu conjuncta, id ipsam etiam S. Scripturam docere Joan. ult. 23. 12.

CAP. X.

De PROPOSITIONIBUS EXPONIBILIBUS.

HActenus de propositionibus omnibus dictum est, quarum usus non ita difficilis, quæq; in Syllogismis adhiberi possunt. Sunt autem aliæ adhuc perplexæ & obscuræ, quæ nec in disputatione, nec in syllogismis adhiberi possunt, nisi antea expositæ fuerint, & in alias propositiones magis perspicuas resolutæ, unde vulgò Exponibiles vocantur. Solent autem revocari ad quatuor genera, ad exclusivas, exceptivas, reduplicativas, & comparativas. 1.

2. Exclusivæ *dicuntur, quæ aliquod signum exclusionis habent, qualia sunt,* solus, unicus, solum, tantum, *& dividuntur in exclusivas* exclusivi subjecti *h. e. in quibus signum exclusivum ad subjectum pertinet, & exclusivas* exclusi prædicati, *sive ubi particula exclusiva ad prædicatum spectat. Prioris exemplum est hoc :* Solus homo est rationalis. *Posterioris :* Prædicamenta sunt tantum decem. *Dividuntur etiam in affirmantes & negantes.* Affirmans *est hæc :* Solus homo est rationalis, Negans: Non solus homo est bipes.

3. *Porrò si affirmantes sint facilis est expositio, ad hunc modum:* Solus homo est rationalis, *i. e.* Homo est rationalis, *&*, Quod non est homo non est rationale. *Item:* Prædicamenta sunt tantum decem, *h. e.* Prædicamenta sunt decem, *&* Prædicamenta non sunt alia quam decem.

4. *Quod si autem negantes sint, tum vel particula negans præponitur toti enunciationi vel copulæ tantum. Toti enunciationi, inquam, ut:* Non solus homo est bipes. *Copulæ, ut :* Solus Deus non est creatura. *Quæ prioris generis sunt exponuntur duplici sensu, primò sic :* Non solus homo est lapis, *id est,* Homo non est lapis, *& ideo* Nec quod non est homo non est lapis. *Secundò ita :* Non solus homo est lapis, *id est,* Homo quidem est lapis, *sed tamen* Aliquid, quod non est homo, est lapis. *Quæ posterioris generis sunt sic exponun-*

ponuntur. Solus Deus non est creatura, *h. e.* Deus non est creatura, & Omnis res, quæ non est Deus, est creatura.

Exceptivæ *dicuntur quæ signum exceptionis* 5.
habent, cujusmodi sunt, præter, *(neq; hoc semper tamen)* præterquam, nisi & *voces similes, ipsumq; verbum* excipio. *Tales propositiones sunt:* Omne animal præter hominem est brutum. Nullum animal præter hominem est rationale. *Sunt autem & ipsæ vel affirmantes vel negantes, sed omnes universales: neq; enim potest quicquam excipi nisi à toto aliquo genere, ut rectè Fonseca docet. Ita hæc particularis:* Aliqua regio præter Italiam est ferax ingeniorum, *licèt habeat vocem* præter, *exceptiva tamen non est, quia particularis est. Patet hoc si pro particula* præter *aliud signum exceptionis substituas & dicas:* Aliqua regio excepta Italia est ferax ingeniorum: *statim enim inepta est. Cavendum quoq; ne quid excipias, quod inter ea, à quibus excipitur, non invenitur: nam alias ridicula fit propositio, ut si dicas:* O. homo præter lapidem est rationalis.

Porrò exceptivæ affirmantes ita exponuntur: 6.
Omne animal præter hominem est brutum, *i. e.* Homo est animal, Homo non est brutum, &, Omne animal quod non est homo est brutum, *Negantes autem ita:* Nullum animal præter hominem est rationale *h. e.* Q. animal est

rationale, &, Homo est animal, *sed* Nullum animal quod non est homo, est rationale.

7. Reduplicativæ *sunt, quæ signum reduplicativum habent, h. e. unum ex istis,* quâ, quatenus, secundum quod, *& ut barbare loquuntur,* in quantum *& similia. Talis propositio est hæc:* Homo quatenus est rationalis est risibilis. *Sunt autem in triplici differentia: interdum enim particula reduplicativa proximam causam denotat, propter quâ prædicatum subjecto tribuitur, ut in exemplo jam jam allato: ideo enim hominem, quatenus est rationalis, risibilem esse diximus, quia ratio proxima causa est risibilitatis. Interdum eadem particula non causam sed necessariam tantum quandam subjecti cum prædicato connexionem significat, ut in hac propositione:* Homo quatenus est risibilis est disciplinarum capax: *non enim intelligitur, quod risibilitas causa sit capacitatis disciplinarum in homine, sed quod illa duo in eo necessariò simul sint & ab una causa proficiscantur. Interdum denig; particula illa explanationis tantum causa adjicitur, ut intelligatur, qua consideratione prædicatum subjecto tribuatur, ut in hac & similibus:* Ens quatenus est ens est subjectum Metaphysicæ, *i. e. sub ea consideratione quâ Ens est.*

8. *Exponuntur autem facilè triplici hoc discrimine observato. Primum quidem genus sic:* Homo est rationalis, Homo est risibilis, &, Rationalem

lem esse est causa risibilitatis. *Secundum ita*: Homo est risibilis, Homo est disciplinarum capax, &, Quod eum facit risibilem hoc etiam facit disciplinarum capacem. *Tertium denique*: Ens, est subjectum Metaph. Nec id aliter in Metaphysica consideratur quam ratione entitatis. *Ita se habent Reduplicativæ affirmantes: nam negantium intricatior ratio est, quam ut hîc tradi possit.*

Postremò comparativæ *sunt, in quibus est signum aliquod comparationis: ut*: Petrus est doctior Paulo. *Tantum notetur, non rectè institui comparationem nisi secundum ea quorum utrumque illud capax sit, inter quæ comparatio instituitur: ita non dicimus, Petrum esse doctiorem infante, quòd infans doctus non est. Harum* affirmantes *exponuntur sic*: Petrus est doctior Paulo, *h. e.* Petrus est doctus. &, Paulus est doctus, *sed* Petrus Paulum doctrina superat. Negantes *verò eodem modo exponuntur, quo exclusivæ negantes, ut*: Lapis non est doctior ligno *h. e.* Lapis non est doctus, &, Lignum non est doctum, & *proinde* Lapis doctrina non superat lignũ, *vel etiam ita*: Lapis est doctus, &, Lignum est doctum, *sed tamen* Lapis lignum doctrina non superat. 9.

Ubi unum tamen addatur, considerandam etiam in his talibus subjectam materiam: nam interdum comparativè aliud est verum, quod absolutè 10.

tamen non est. Ita Aristot. IV. *de cœlo docet, hanc esse veram, aquam esse leviorem terrâ, aërem graviorem igne, cum tamen istæ absolutæ falsæ sint:* Aqua est levis, Aër est gravis.

Caput XI.
De
SUPPOSITIONE VOCUM IN PROPOSITIONIBUS.

1. *Sicut cætera, quæ de Quantitate, Qualitate, Æquipollentia, Oppositione, Subalternatione & Conversione propositionum dicta sunt ad disserendum & disputandum necessariò requiruntur, ita etiam non levem usum habent quæ de suppositione vocum in propositionibus tradi à recentioribus solent: nam quæ de iis antehac Scholastici uberrimè commentati sunt, plerag, tam* inculta, horrida & ab usu remota sunt, ut nisi plurima rejiciantur, satius sit ea non attingere, *sicut etiam Fonseca ait.*

2. *Dicitur autem* Suppositio *nihil aliud quàm certa vocis alicujus præsertim subjecti, in enũciatione acceptio, & supponere sive supponi nihil aliud, quàm vocem aliquam hoc aut illo modo capi. Estq, primò duplex, alia materialis, alia formalis. Suppositio materialis vocatur, cum vox accipitur pro seipsa, ut cum dico:* Homo est dissyllabum, Curro est verbum:

bum: *materiale enim in voce significante est vox ipsa, formale autem significatio. Appellatur hæc suppositio alias technica, nec in una dictione tantum sed sæpe in integra oratione invenitur, ut si dicas:* Arma virumq; cano est exordium Æneidos Virgilianæ.

Suppositio Formalis *dicitur, cum vox accipitur pro suo significato, ut cum dico:* Homo est animal: *intelligitur enim non vocem illam* homo, *sed rem, quæ per eam denotatur, animal esse. Cumq; maxime in nominibus & iis quidem substantivis reperiatur, distinguitur ea rursus in singularem seu discretam, & communem.* Singularis *est vocis singularis, ut:* Socrates currit, Communis *vocis communis. Et hæc est simplex vel personalis.* 3.

Suppositio simplex *est acceptio præcisa nominis communis pro immediato suo significato, non pro inferioribus, sive iis, quæ mediatè significant, ut cum dico:* Homo est species, Animal est genus: *utrobiq; enim subjectum capitur pro nudâ naturâ quam denotat i. e. naturâ humanâ, naturâ animalis, non pro inferioribus seu iis quæ naturam illam habent.* Personalis *vocatur acceptio nominis communis pro mediatis suis significatis, sive inferioribus, in quæ communis natura per, signum aliquod distribuitur. Ita in his enunciationibus:* O. homo est animal, N. homo est lapis, Q. homo est doctus, Q. homo non est doctus, *subjecta accipiuntur: non* 4.

enim præcisè nudam & simplicem naturam denotant, sed inferiora quæ naturam illam participant, sive species sint sive individua: unde & hæc personalis appellata est, & prior illa simplex, quia significata in hac suppositione, si comparentur cum significatis illius, ista instar personarum, illa instar naturarum simplicium se habent.

5. *Differunt autem suppositiones illæ duplici alias ratione, primò quod personalis admittat signa tàm universalia, quam particularia, simplex nulla. Sic rectè dicimus*: Omnis, &, quidam homo est animal, Nullus homo est lapis, Quidam homo non est doctus, *annon recte?* O. aut Q. homo est species, O. aut Q. animal est genus: *si enim omnis homo sit species, unumquodq; individuum species erit; si aliquis item, saltem unum individuum species fuerit. Ratio in promptu est: nam signa distribuunt naturam communem in sua inferiora. In suppositione autem simplici natura communis præcisè spectatur. Alterum discrimen est, quod in personali suppositione descensus fiat, non verò in simplici: quid autem sit descensus, paulò pòst dicemus.*

6. *Porrò est etiam suppositio alia naturalis alia accidentalis.* Naturalis *vocatur, cum vocabulum commune accipitur pro omnibus suis significatis, sive omnibus quæ naturâ suâ significare potest, ut vocabulum hominis in hac propositione*: Omnis homo est animal: *intelligitur enim omne quod vocabulo illo*

illo denotatur, i. e. homines qui sunt, fuerunt aut futuri sunt. Accidentalis *verò est, quando vocabulum commune accipitur non pro omnibus sed iis tantum significatis pro quibus ut accipiatur patitur enunciatio, sicut rursus vox homo in hac propositione:* Quidam homo nunc ambulat: *nec enim capitur pro hominibus qui vel fuerunt vel futuri sunt, quia id prædicatum non patitur, sed pro iis tantum qui jam existunt. Similiter vox puer in hac propositione:* Puer factus est senex, *non accipitur pro eo, qui vel puer olim erat. Sic Exod.* VII. 15. *legitur:* Deglutivit baculus Aaronis baculos magorum *i. e. draco qui baculus paullo ante fuerat. Et Joan.* IX. 17. Rursus dicunt cæco *i. e. eiqui cæcus fuerat. Cum autem cap.* X. 16. *scriptum est:* Alias etiam oves habeo, quæ non sunt ex hac caula, *& cap.* XI. 51. Prophetavit fore ut Jesus pro gente moreretur, nec tantum pro ea gente, sed ut etiam filios Dei dispersos congregaret in unum, *oves & filii appellantur qui futuri aliquando erant. Eodem spectat illud:* Cœlum tegit omnia, *subintellige, excepto seipso. Item istud Psalmi* IIX. *de Christo:* Omnia subjecit sub pedibus ejus, *excepto tamen eo qui subjecit ei omnia, ut dicitur* 1. *Cor.* XV. 27.

Cæterum descensus nihil aliud est quàm enumeratio inferiorum vocabuli alicujus communis, estq; 7.
quadruplex, copulativus, copulatus, disjunctivus &
dis-

disjunctus. Copulativus *vocatur cum enumeratio inferiorum fit per particulam Et copulativè sumptam i. e. connectentem integras propositiones. Per talem descensum explicatur sensus propositionis universalis affirmativæ, (modò particula omnis distributive sumatur,) & negativæ. Unde in hac propositione:* Omnis homo est animal, *talis fit descensus seu enumeratio inferiorum: Ergò & hic homo est animal, & iste homo est animal, & ille homo est animal &c. Item in ista:* Nullus homo est lapis: *E. & hic homo non est lapis & iste homo non est lapis & ille homo non est lapis &c.*

8. Copulatus *est qui fit per particulam eandem sed copulatim, ut vocant, sumptam i. e. connectentem non totas enunciationes sed eorum partes tantum. Ejusmodi descensus occurrit in propositionibus quæ habent vocabulum omnis collectivè sumptum. ex. gr.* Omnia elementa sunt quatuor *i. e. hoc elementum & illud elementũ & istud & illud, sunt quatuor; neutiquam autem hoc elementum est quatuor, & illud elementum est quatuor &c.*

Descensus disjunctivus *est, qui fit per particulam* vel, aut *& similem disjunctive acceptam h. e. disjungentem totas enunciationes. Hic competit propositionibus particularibus tàm affirmativis quam negativis. Sic sub hac propositione:* Q. homo est doctus, *descenditur ita: Ergo vel hic homo est doctus, vel iste homo est doctus, vel ille homo est doctus*

ctus &c. Sub ista verò: Quidam homo non est doctus, *hoc pacto: Vel hic homo non est doctus, vel iste homo non est doctus &c.*

Disjunctivus *denig; vocatur qui fit per parti-* 10.
culas easdem, sed disjunctim acceptas, i.e. disjungentes non totas enunciationes, sed partes earum tantùm. Talis descensus competit propositionibus particularibus vel indefinitis, quæ vocem necessarii continent. Sic cum dico: Oculus necessarius est ad videndum, Navis aliqua est necessaria ei, qui navigare vult: *non descenditur ita: Ergò vel hic oculus necessarius est ad videndum, puta sinister, quasi absque sinistro videri non possit, vel iste est necessarius, puta dexter, q. abs q; eo videre non liceat: nec ita: Vel hæc navis necessaria est navigaturo, ita ut alia uti non possit, vel ista est necessaria, ut solâ eâ vehi possit, cum nulla determinatè necessaria sit: Sic autem descendi debet:* Oculus necessarius est ad videndum: *E. hic vel ille oculus est necessarius:* Navis aliqua est necessaria navigaturo, *Ergo hæc vel illa vel ista, est necessaria.*

Verùm hic duo adhuc observanda sunt 1. quan- 11.
do ita instituitur descensus enumerari interdum individua, præsertim si vox communis, cujus est suppositio, sit species infima, interdum non individua sed species, puta si vox illa communis sit genus aliquod. Sic quia vox homo *est species infima, cum sub ea descenditur, enumerantur individua: nec enim alia inferiora habet: ut:* O. homo est animal, *E. & hic homo est animal & iste homo est*

ani-

animal. N. homo est lapis. *E. & hic homo non est lapis, & iste non est lapis.* Q. homo est doctus. *E. vel hic homo est doctus, vel iste homo est doctus. Quia autem* vox animal *est genus, sub ea ita descenditur, ut species ejus enumerentur, ex gr.* O. animal sentit. *E. equus sentit & lupus sentit & homo sentit &c. Quò spectat etiam cum dicitur:* Omnes sensus sunt in homine, O. animal terrestre fuit in arca Noæ: *exponuntur enim sic. E. omnes species sensuum, nempe visus, auditus, gustus &c. sunt in homine: item omnes species animalium terrestrium fuerunt in arca Noa, puta homo, leo, lupus &c. nam si de individuis hæc intelligere velis, propositiones falsæ erunt; nec enim visus hujus lyncis, aut odoratus hujus canis est in homine, nec omnia individua animalium fuerunt in arca. Solet hæc enumeratio alias ita distingui, ut cum vox communis accipitur pro individuis, dicatur supponi pro singulis generum, sin pro speciebus, dicatur supponi pro generibus singulorum.*

12. *2. Diligenter notandum, non tantùm doctrinam de suppositione sed propositionibus quoq; exponibilibus ita tractandam esse, ut intra modum id fiat, id est, ea quæ plana & perspicua sunt, certumq; in veritatis indagatione usum habent à perplexis & inutilibus quæstionibus diligenter separentur: quod cum sequiorum temporum Scholastici non facerent, artem Logicam contaminarunt, cumq; ineptis tantum argutiis eam, & præsertim quam novam artem vocabant, circumscripsissent, & hanc & unà totam disciplinam in contemtum adduxerunt.*

LIBER

LIBER TERTIUS.

DE SYLLOGISMO.

CAPUT I.

DE DEFINITIONE ET PARTIBUS SYLLOGISMI.

EXplicatâ *forma propositionum* accedendum *est ad formam ipsius syllogismi.* 1.
Ubi exponendum est primò *quid sit syllogismus, & quæ ejus partes integrantes, deinde quot figuras habeat forma syllogismorum, & quot unaquæque harum modos, quomodo reducantur syllogismi cæterarum figurarum ad primam, item quæ horum omnium ratio sit, non tantùm in syllogismis qui ex absolutis propositionibus constant, sed etiam qui ex modalibus & conjunctis.*

Est autem syllogismus *oratio, in qua positis* 2.
quibusdam diversum quid à positis sequitur ex necessitate, eò quod illa posita sint.

Dicitur esse oratio: *intelligitur autem tàm ea* 3.
quæ mente concipitur, quàm quæ voce exprimitur: nec enim necesse est ut oratio omnis ore profetur,

etsi

etsi inde nomen primùm accepit, & per vocem etiam definitur.

4. *Dicitur porrò*, in ea quædam poni, *puta duas enunciationes præmitti seu proponi (quæ inde præmissæ & propositiones Græcè προτάσεις, propriè appellantur)* & his positis sequi diversum quid ab iis, *id est tertiam enunciationem, quæ ex illis colligitur, & conclusio seu συμπέρασμα vocatur. Dicitur denique, sequi eam* ex necessitate, *& ideò quia duæ illæ priores positæ sint, id est, ita ut semper ejusmodi conclusio ex talibus præmissis efficiatur.*

5. Partes *syllogismi* integrales *(nam ipsa forma & materia partes essentiales sunt) aliæ sunt propinquæ, aliæ remotæ. Propinquæ sunt* propositiones *seu enunciationes, remotæ* termini. *Enunciationes ad syllogismum omnem requiruntur tres: duæ nempe præmissæ, & tertia, conclusio. Præmissarum prior dicitur major propositio; posterior minor, vel assumtio. Terminus, Græcè ὅρος, vocatur subjectum aut prædicatum enunciationis in syllogismo positæ. Et sunt totidem quot propositiones, sed singuli bis repetuntur, ut ita tres propositiones constituant. Vocantur autem* major, minor, medius. Major *dicitur qui fit prædicatum in conclusione*, minor *qui subjectum*, medius *qui conclusionem non ingreditur. Ita in hoc syllogismo:*

Omnis homo est rationalis,
Petrus est homo:

E. Pe-

E. Petrus est rationalis.

major est tò rationalis, *minor* Petrus, *medius* homo: *vox enim rationalis prædicatum est conclusionis, Petrus subjectum, homo autem extra conclusionem est.*

CAPUT II.

De FUNDAMENTO FORMÆ SYLLOGISTICÆ.

FOrma syllogismi tota in eo consistit, ut ex his quæ posita sunt aliquid sequatur, idq; ex necessitate & semper, sicut ex definitione syllogismi patuit: unde eadem forma aliàs consequentia syllogistica appellatur. 1.

An autem aliquid sequatur, ex terminorum dispositione & propositionum qualitate ac quantitate æstimandum est: quod si enim & termini ipsi rectè disponantur, & propositiones legitimam tùm quantitatem tùm qualitatem habeant, rectè & ex necessitate sequitur, quod ex iis colligitur: sin minus, nihil sequitur nisi rarò & per accidens tantùm. 2.

Quomodo verò disponendi sint termini, & quæ quantitas ac qualitas esse debeat propositionum, ut forma & consequentia syllogismi legitima sit, ex duobus principiis cognoscitur, quorum unum omnium syllogismorum affirmantium, alterum omnium negantium fundamentum existit. 3.

Fundamentum affirmantium (ita autem vocantur qui conclusionem affirmantem habent, sicut negantes qui negantem,) est hæc propositio : Quicquid prædicatur de omni hoc etiam dicitur de cunctis quæ sub illo continentur, *sicut quod dicitur de omni homine, hoc necessariò etiam dicitur de Italo: nam Italus sub homine comprehenditur. Vulgò vocant* dictum *seu* dici de omni.

4. *Fundamentum negantium est ista propositio:* Quicquid removetur ab omni idem removetur etiam à cunctis quæ sub illo comprehenduntur. *Ita cum lapis negetur de homine, necesse est eundem etiam de Italo negari, quia & Italus homo est. Vulgò* dictum de nullo *seu* dici de nullo *appellatur. Græci prius illud τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι, posterius, τὸ κατὰ μηδενὸς κατηγορεῖσθαι vocant.*

5. *Fundamenta autem ea esse formæ syllogismorum inde patet, quod integri syllogismi nihil aliud sint quam ipsa ista dicta. Ita hic syllogismus :* Omnis homo est animal, Omnis Italus est homo, Ergo omnis Italus est animal, *dictum de omni repræsentat : cum enim omnis homo dicatur animal, & Italus contineatur sub homine, non potest non etiam Italus dici animal. Similiter hic :* Nullus homo est lapis, Omnis Germanus est homo, Ergo Nullus Germanus est lapis, *dictum de nullo expressè continet : cum enim lapidem esse removeatur*

ab omni homine, & Germanus dicatur contineri sub homine, necesse est idem illud à Germano quoq; removeri.

Sane sunt etiam syllogismi, qui expresse non repræsentant dicta illa: sed illi tamen ita comparati esse debent, ut in tales, quoties libet, commutari possint. Unde & ipsorum consequentia ex dictis illis robur habet. 7.

Postremo veras esse illas propositiones seu dicta, & infallibilia, inde certum est, quia principia sunt naturâ nota & à Deo ipso mentibus nostris inscripta: sicut enim natura ipsa docet: Bis duo esse quatuor, Parentes esse honorandos, *ita eadem dictat:* Quod de omni affirmatur vel negatur, idem affirmari vel negari debere de cunctis, quæ sub illo continentur. *Unde & ipsa forma syllogismi, si legitima sit, fallere non potest, imò non ab homine excogitata est, sed à Deo instituta in natura, & ab hominibus animadversa tantum, ut eam discere aut docere possint, sicut B. Augustinus loquitur lib. 2. de doctr. Christiana cap. 31.* 8.

CAP. III.

De NUMERO FIGURARUM ET REGULIS COMMUNIBUS CONSEQUENTIÆ SYLLOGISTICÆ.

1. Formam syllogisticam in dispositione terminorum & quantitate ac qualitate propositionum consistere diximus. Dispositio autem illa potest esse triplex, ita ut rectè & naturaliter aliquid juxta illa dicta a duo colligatur: vel enim medius terminus est subjectum in majore propositione & prædicatum in minore seu assumtione, vel idem medius est prædicatum in utraq; præmissarum, vel denique est subjectum utrobiq;.

2. Et hinc tres figuræ syllogismorum (Græci σχήματα appellant) constituuntur: prima, quæ primam illam dispositionem medii habet, secunda, quæ alteram, tertia, quæ tertiam. Poterat addi quarta dispositio, quum scilicet medius est prædicatum in majore & subjectum in minore: ex qua Galenus etiam quartam figuram conficere voluit, ut testatur Averroës lib. 1. prior. cap. 23. sed illa tum dispositio tum figura non ita naturalis & plana est ut cæteræ, atq; ideò negligitur, ut alibi docetur.

3. Cæterùm sicut dispositio diversa medii diversas figuras peperit, ita quantitatis ac qualitatis variatio diversos in unaquaq; earum producit modos. Sed hac de re infra, nunc de figuris dicere pergamus.

4. Est autem exemplum primæ figuræ si argumenteris sic:

Omnis *homo* est rationalis,
Petrus est *homo*,
E. Petrus est rationalis.

Me-

Medius terminus hîc est homo: *& is subjectum est majoris ac prædicatum minoris.*

Exemplum secundæ est hoc: 5.

Omnis homo est *rationalis*,
Lapis non est *rationalis*,
E. Lapis non est homo.

Medium est rationalis: *id autem tam in majori quam minori prædicatur.*

Tertiæ exemplum est: 6.

Omnis *homo* est rationalis,
Omnis *homo* est bipes,
E. Quoddam rationale est bipes.

Medium rursus est homo, *idq; in utraq; præmissarum subjicitur.*

His tribus figuris omnis legitima ratio concludendi seu argumentandi continetur. Verùm quia non sufficit figurarum harum unam tenere, nisi etiam legitimum in unaquaque modum observes, de omnibus illis figuris sigillatim agendum est. Antequam autem id fiat, regulæ nonnullæ consequentiarum notandæ sunt, omnibus figuris communes. 7.

Prima. *Non est bona forma argumentandi quâ aliquando in certa materia ex veris præmissis colligitur verum, sed quâ in omni materia & semper: id enim est quod in definitione syllogismi dicitur, conclusionem sequi debere ex necessitate & ideò quia illa posita sint.* 8.

9. Secunda. *Mala forma est non qua semper sed qua vel semel ex veris falsum concluditur: nullus enim syllogismus tam malus est, quin interdum verum concludat.*

10. Tertia. *Conclusionem esse veram & eandem sequi ex præmissis idem non est: potest enim conclusio esse vera, & tamen ex præmissis non sequi nec tamen vera esse. Sic si ita argumenteris:*

Omnis homo est bipes,
Equus non est homo.
E. Equus non est bipes.

Conclusio vera est, nec tamen sequitur ex istis præmissis, ut infra intelligetur. Si autem talem Syllogismum facias:

Omnis homo est equus,
Omnis lapis est homo,
E. Omnis lapis est equus,

Conclusio rectè sequitur: est enim syllogismus primæ figuræ primi modi, & tamen conclusio falsa est, quia præmissæ falsæ sunt.

11. Quarta. *Ex puris particularibus nihil legitimè sequitur, ut:*

Quidam homo est doctus,
Quidam rudis est homo,
E. Quidam rudis est doctus.

12. Quinta: *Nec ex puris negantibus, ut:*

Nul-

Nullus homo est lapis,
Nullus adamas est homo,
E. Nullus adamas est lapis.

Sexta. *Non debent plures termini in syllogismo esse quàm tres; alioquin nihil necessariò sequitur, ut:* 13.

Quicunque est homo ille est rationalis,
Bucephalus est equus,
E. Bucephalus est rationalis.

Vel:

Omnis homo est rationalis,
Imago Pauli est homo pictus,
E. Imago Pauli est rationalis.

Septima. *Conclusio semper debet imitari partem Syllogismi debiliorem, id est, si una præmissarum sit negans negare non affirmare, si item una sit particularis particularis esse non universalis. Unde malè concludit hic syllogismus:* 14.

Omnis homo est rationalis:
Quoddam bipes est homo,
E. Omne bipes est rationale.

Conclusio enim universalis est, & tamen minor est particularis. Similiter & iste malè concludit:

Nullus homo est lapis,
Omnis adamas est lapis,
E Omnis adamas est homo:

Conclusio enim negans esse debet quia & præmissarum una negat.

Caput IV.
De
PRIMA FIGURA.

1. PRima Figura *est, ut diximus, quando medius terminus est subjectum in majore propositione & prædicatum in minore. Habet illa quatuor modos, quibus legitimè concludi aliquid potest. Discernuntur autem illi, sicut & modi cæterarum figurarum, per certa vocabula, quorum plaraq; aliàs nihil significant. Idque fit vocalibus quas continent qualitatem & quantitatem propositionum denotantibus: ex utraque enim modos nasci suprà monuimus. Denotatur autem tum hic tum in cæteris figuris universalis affirmans per vocalem A, universalis negans per E, particularis affirmans per I, particularis negans per O.*

2. *Primus itaq; modus est* Barbara, *id est, constat ex omnibus propositionibus universalibus & affirmantibus, ut:*

Bar Omne animal sentit,
ba Omnis homo est animal,
ra E. Omnis homo sentit.

3. *Secundus est* Celarent, *id est, habet majorem, universalem negantem, minorem universalem affirmantem & conclusionem rursus universalem negantem, ut:*

Ce

Ce Nullum animal est lapis,
la Omnis homo est animal,
rent E. Nullus homo est lapis.

Tertius est Darii, *ubi scilicet major affirmat universaliter, minor & conclusio particulariter, ut:* 4.

Da Omne animal sentit,
ri Quoddam corpus est animal,
i E. Quoddam corpus sentit.

Quartus denig; est Ferio, *quum videlicet major est negans universalis, minor particularis affirmans, & conclusio particularis negans, ut:* 5.

Fe Nullus homo est lapis,
ri Quoddam corpus est homo,
o E. Quoddam corpus non est lapis.

Plures modi non sunt quibus in hac figura legitimè concludatur: legitimè inquam, id est, ut toties diximus, ex necessitate & semper. 6.

Duæ autem regulæ de ea observandæ sunt. Prima est: Major semper debet esse universalis. *Sinminus, malè concluditur, ut:* 7.

Quidam homo est doctus,
Omnis rudis est homo,
E. Quidam rudis est doctus.

Conclusio est falsa: at veræ præmissæ. Mala itaq; forma est & nihil sequitur: nam quæ vel semel ex veris falsum concludit nihil valet, ut diximus cap. præcedenti num. 9.

8. *Altera regula est*: Minor semper debet esse affirmans: *nam si negans sit, nihil rectè sequitur, ut:*

Omnis homo est bipes:
Gallina non est homo:
E. Gallina non est bipes.

Falsa iterum est conclusio veris tamen existentibus præmissis.

9. *Atq; hinc jam intelligitur quare quatuor tantum modi sint: cum enim primò non possint omnes propositiones esse negantes aut omnes etiam particulares, ut ex regulis communibus constat: deinde nec major esse particularis aut minor negans, ut ex regulis specialibus jam patuit, plures variationes quantitatis & qualitatis dari nequeunt, sicut manifestum erit, si quis periculum faciat, an excogitari plures possint.*

10. *Duo autem adhuc notanda hic sunt.* Primum 1. *est sæpe Minorem in syllogismis primæ figuræ negantem videri, cum affirmans tamen sit, sed infinita. Contingit hoc quoties subjectum majoris est terminus infinitus, idq; sine additione novæ particulæ negantis sit prædicatum minoris: tum enim propter respectum istum ad majorem, quodq; particula negans inde propriè in minorem transferatur, minor infinita fit, quæ aliàs & extra syllogismum negans esset.*

Sit

Sic in hoc syllogismo:

Qui non est ex Deo verbum Dei non audit,
Judæi non sunt ex Deo,
E. Verbum Dei non audiunt.

Minor non negat sed affirmat: nec particula non *ad* 11.
copulam refertur, sed ad prædicatum, idq; adeò quod totum illud: non sunt ex Deo, *ex majore hîc repetitur. Utut igitur aliàs & extra syllogismum propositio ista:* Judæi non sunt ex Deo, *negans sit, in hoc syllogismo tamen pro affirmante & infinita habetur.*

Facilè autem dignoscitur ubi minor sit negans 12.
& ubi ea de caussa pro infinita & affirmante habeatur: si observes quare in exemplo allato particula negans non ad copulam, sed ad prædicatum referatur, sc. propter respectum ad majorem propositionem: cum enim ejus subjectum contineat particulam negantem, & subjectum illud fiat in minore prædicatum, necesse est ut eadem particula, quæ in Majore pars subjecti erat, in minore sit pars prædicati. Notum autem est ex doctrina enunciationum, ubi particula negans non ad copulam sed ad terminum pertinet, eam non facere propositionem negantem sed infinitam.

Quotiescunque igitur particula negans est in 13.
subjecto majoris, & cum eo transfertur in minorem,
toties

toties minor illa est infinita & affirmans, & fit syllogismus infinitus. Quoties autem negatio illa non transfertur ex subjecto majoris in minorem, toties revera minor negat, ut in isto syllogismo:

Quod est animal illud est corpus,
Sed lapis non est animal,
E. Lapis non est corpus.

Minor hîc est negans tam in syllogismo quàm extra eum esset: particula enim negans in subjecto majoris non est, quum ea non habeat: Quod non est animal, *sed,* Quod est animal. *Quare nec consequentia ejusmodi valet. At in superiori syllogismo alia est ratio: illud enim:* Non est ex Deo, *jam in majori erat, quæ est:* Qui non est ex Deo &c. *Ejus igitur & similium consequentia bona est. Potest etiam aliter ostendi tales syllogismos rectè concludere. Sed id alius loci est. Hoc primò notandum.*

14. Deinde *& illud observandum est, ad modos*
2. *quatuor enumeratos referendos esse etiam syllogismos illos qui minorem & conclusionem habent propositiones singulares: nec enim opus est ea de causa novos modos constitui, cum singulares propositiones in scientiis vel parvum vel nullum usum habeant. Sit itaq; sic argumenter:*

Qui est homo is est animal,
Petrus est homo,
E. Petrus est animal.

per in-

perinde est utrum ad hoc Barbara an Darii reducas, etsi minor & conclusio neque sunt universales, ut in Barbara, neque particulares ut in Darii, sed singulares: nec enim ea in re errari potest, quod ad præsens negotium quidem attinet. Nec hoc tantum hic valet, sed in omnibus figuris. Arist. autem istos syllogismos prorsus omisit.

Et hi sunt modi directi primæ figuræ. Solent etiam addi quinq; indirecti, quos Theophrastus primùm Aristotelis auditor excogitavit, ut Alexander refert 1. prior. c. 4. & vocantur Baralipton Celantes Dabitis Fapesmo Frisesomorum. Ubi tamen sciendum in vocibus Baralipton & Frisesomorum syllabas pton & morum παρέλκειν tantumq; propter versum quo modos primæ fig. olim complectebantur additos, ut notat Fr. Titelmannus lib. 4. dial. cap. 10. 15.

Syllogismus in Baralipton est his: 16.

Ba O. animal est substantia
ra O. homo est animal
lip E. Q. substantia est homo.

In Celantes:

Ce N. homo est lapis
lan O. Italus est homo
tes E. N. Lapis est Italus.

In Dabitis:

Da O. homo est animal
bi Q. Italus est homo
tis E. Q. animal est Italus.

In

In Fapesmo, *ut:*

Fap O. homo est animal
esm N. lapis est homo
o E. Q. animal non est lapis.

In Frisesomorum *denique:*

Fris Q. homo est doctus
es N. lapis est homo
o E. Q. doctus non est lapis.

17. *Manifestum autem facile est, quare indirecti modi dicantur: nam omnes majorem terminum, qui prædicatum esse in conclusione debebat, faciunt subjectum conclusionis, & contra minorem terminum, qui subjectum esse debebat, faciunt prædicatum. Unde etiam calde intricata & minus naturalis in eis est inferendi ratio. Nihilominus tamen, cum nunquam ex veris efficiant falsum, consequentiam legitimam habent, sed in disputando vix adhiberi possunt.*

CAPUT V.

De

SECUNDA FIGURA.

1. SEcunda Figura *est quum medius terminus prædicatum est tàm in majore quàm in minore. Modi ejus sunt totidem quot primæ.*

2. *Primus est* Cesare, *id est, quum major est universalis negans, minor universalis affirmans, & conclusio rursus universalis negans, ut:*

Ces.

Ces Nullus lapis est animal.
a Omnis homo est animal,
re E. Nullus homo est lapis.

Secundus est Camestres, *majore universali affirmante, minore autem & conclusione universalibus negantibus, ut:* 3.

Cam Omnis homo est animal,
es Nullus lapis est animal,
tres E. Nullus lapis est homo.

Tertius est Festino, *ubi major negat universaliter, minor affirmat particulariter & conclusio particulariter negat, ut:* 4.

Fes Nullus lapis est animal,
ti Quoddam corpus est animal,
no E. Quoddam corpus non est lapis.

Quartus dicitur Baroco, *constans sc. majore universali affirmante, minore & conclusione particularibus negantibus, ut:* 5.

Ba Omnis homo est animal,
roc Quoddam corpus non est animal,
o E. Quoddam corpus non est homo.

Sunt verò etiam hujus figuræ duæ *præcipuè* 6. regulæ. *Prima est:* Ex puris affirmantibus nihil hîc concludi, *altera:* Majorem, *etiam ut in prima figura*, debere semper esse universalem.

Ex

7. *Ex puris affirmantibus nihil concludi in secunda, patet ex hoc syllogismo:*

Omnis homo est animal,
Omnis equus est animal,
E. Omnis equus est homo.

Conclusio est falsa, præmissæ veræ: consequentia ergò non valet. Adde quod tales syllogismi non possunt reduci ad primam figuram, quod tamen fieri in secunda & tertia figura debet, ut infra ostendetur.

8. *Sed nec legitimè aliquid sequitur quoties major est particularis, sive ea sit affirmans sive negans. Liquet id ex his exemplis.*

Quoddam animal est bipes,
Nullus equus est bipes,
E. Quidam equus non est animal.

Item:

Quoddam animal non est bipes,
Omnis gallina est bipes,
E. Quædam gallina non est animal.

Utrobiq; sunt præmissæ veræ & falsa tamen est conclusio. Forma ergò in talibus syllogismis legitima non est. Quin nec istiusmodi syllogismi ad primam figuram reduci possunt.

9. *Porrò termini infiniti etiam hic difficultatem pariunt, sicut in prima, sed alio pacto. Sic si argumenteris hoc modo:*

Quicquid non est animal non est homo,
Petrus est homo,
E. Petrus non est animal.

erro

error est & debebat concludi: E. Petrus non est non animal.

Caussa est, quod in majore subjectum est terminus infinitus, nempe: Non animal, *quem integrè in conclusione repeti oportet. Id autem non fit, quando concluditur:* E. Petrus non est animal, *cum una illa particula negans jam aliàs esse debeat in conclusione, ut illam negantem faciat. Requiritur ergò & altera illa, quæ ad majorem terminum pertinet, & in eo erat in majore propositione, atque illum ibi infinitum reddebat. Potest tamen etiam sic concludi:* 10.

Qui non est animal non est homo
Petrus est homo,
E. Petrus est animal.

sed ideò, quia ista: Petrus est animal, *æquipollet alteri illi quæ propriè aliàs ex præmissis efficitur:* Petrus non est non animal.

CAPUT VI.
De
TERTIA FIGURA.

TErtia figura *est in qua medius terminus in utraq; præmissarum subjicitur. Modos habet sex.* 1.

Primus est Darapti, *id est, quum major & minor sunt universales affirmantes, conclusio autem particularis affirmans, ut:*

Da Omnis homo est rationalis,
rap Omnis homo est bipes,
ti E. Quoddam bipes est rationale.

3. *Secundus est* Felapton, *seu quum major est universalis negans, minor universalis affirmans, conclusio particularis negans.*

Fe Nullus homo est lapis,
lap Omnis homo est animal,
ton E. Quoddam animal non est lapis.

4. *Tertius est* Disamis, *id est, habet majorem particularem affirmantem, minorem universalem affirmantem & conclusionem rursus particularem affirmantem, ut:*

Dis Quidam homo est doctus,
am Omnis homo est animal,
is E. Quoddam animal est doctum.

5. *Quartus appellatur* Datisi, *& habet majorem universalem, minorem autem & conclusionem particulares affirmantes, ut:*

Da O. homo est animal,
tis Q. homo est doctus,
i E. Quoddam doctum est animal.

6. *Quintus est* Bocardo, *& habet majorem particulariter negantem, minorem universaliter affirmantem*

mantem, & conclusionem rursus particulariter negantem, ut:

Boc Q. homo non est doctus,
ar O. homo est animal,
do E. Quoddam animal non est doctum.

Sextus denig; dicitur Ferison, seu constat majore universali negante, minore particulari affirmante & conclusione particulari negante, ut: 7.

Fe N. homo est lapis,
ris Q. homo est doctus,
on E. Q. doctum non est lapis.

Hi sunt modi tertiæ. Causa autem quod ea sex modos habeat, cum cæterarum sint quatuor tantum, ea est quòd Major hîc non solum universalis sed etiam particularis esse potest: hoc enim nec in prima nec in secunda usu venit. 8.

Sunt autem etiam de hac figura duæ regulæ præcipuæ. Una est, ut minor semper affirmet sicut in prima, altera, ut conclusio semper sit particularis, nunquam universalis. 9.

Quod minor debeat affirmare, non negare, hoc exemplo patet: 10.

Omnis homo est animal,
Nullus homo est leo,
E. Q. leo non est animal.

Conclusio falsa est, & veræ tamen præmissæ. Consequentia ergò non valet.

11. *Similiter patet conclusionem debere particularem esse: nam ni fiat, statim rursus ex veris falsum concludere licet, hoc pacto:*

Omnis homo est bipes,
Omnis homo est animal,
E. Omne animal est bipes.

Huc accedit, quod nec quum minor negat, nec quum conclusio universalis est in hac figura, syllogismi illi reduci possint ad primam: quod certum indicium est eos legitimè non concludere.

CAPUT VII.
De
EXPOSITIONE.

1. *EXplicatæ sunt hactenus omnes tàm figuræ quàm singulauem figurarum modi, quibus aliquid legitimè concluditur.*

2. *Cæterum nou sufficit figuras & modos assignari, quibus rectam rationem argumentandi contineri dicamus, nisi etiam ostendere possis, tres illas figuras omnibus istis modis rectè concludere nec unquam fallere, necesse est, ut nunc rationem aliquam examinandi & probandi formulas legitimè concludentes addamus.*

3. *Non est autem hoc necessarium in syllogismis primæ sed fig. secundæ & tertiæ tantum: nam primæ illi*

illi cum expreſsè dictum de Omni & Nullo contineant, conſequentiam per ſe manifeſtam habent. Cæterorum forma dupliciter approbatur, expoſitione & reductione, & illâ quidem forma ſyllogiſmorum tertiæ tantum, hac utriusq;.

Eſt autem Expoſitio, Græcè ἔκθεσις, cum ſyllogiſmus tertiæ Fig. qui medium alias commune habet, redigitur ad ſyllogiſmum ejusdem fig. conſtantem medio ſingulari: dum enim ita per præmiſſas & medium ſingulare concluditur, quod dudum inferrebatur per commune, res tota ſenſui & experientiæ exponitur & collectio ipſa evidentior evadit. Ita ſyllogismus hic in Darapti: 4.

O. homo eſt animal,
O. homo eſt ſubſtantia,
E. Quædam ſubſtantia eſt animal,

per expoſitorium elucidatur ſic: Dico ſi omnis homo eſt animal, ſumamus unum ex hominibus ex. gr. Petrum, & erit utique Petrus animal. Si item omnis homo eſt ſubſtantia, etiam Petrus ſubſtantia erit, adeoque ſi verum eſt, omnem hominem eſſe animal, & omnem hominem eſſe ſubſtantiam, verum etiam eſt Petrum eſſe animal, Petrum eſſe ſubſtantiam, & porrò quoties ita colligitur in Darapti:

Omnis homo eſt animal
O homo eſt ſubſtantia
E. Q ſubſtantia eſt animal

licet etiam ſic inferre:

Petrus est animal.
Petrus est substantia,
E. Q. substantia est animal.

Et ita eadem conclusio colligitur per Expositorium syllogismum & evidentem quæ alias concludebatur per syllogismum obscuriorem in Darapti.

5. *Similiter fit syllogismus in Disamis hic:*

Q. homo est doctus,
O. homo est animal,
E. Q. animal est doctum.

Dico, si quidam homo est doctus, signetur quis sit ille: (oportet enim ad minimum aliquem unum esse,) & ponatur esse Petrum. Porrò si omnis etiam homo est animal, ille Petrus etiam erit animal, & licebit rursus sic inferre:

Petrus est doctus,
Petrus est animal,
E. Q. animal est doctum.

Atq; ita denuo eadem conclusio quæ in Disamis ex præmissis: Q. homo est doctus, O. homo est animal, *paulo obscurius colligitur, manifestiò & evidenter per expositionem infertur ex præmissis.* Petrus est doctus, Petrus est animal, *quæ ad præmissas illas priores semper sequuntur.*

Cap.

CAPUT IIX.
De
REDUCTIONE OSTENSIVA.

REductio *est duplex, ostensiva & per impossibile.* 1.
Ostensiva *est quando syllogismus secundæ aut* 2.
tertiæ figuræ transmutatur in syllogismum primæ, ita ut idem concludatur eodem medio in prima quod ante concludebatur in secunda aut tertia.

Fit q3 transmutatio illa vel per conversionem 2.
simul & transpositionem unius præmissarum, vel per conversionem tantum, & infertur vel eadem planè conclusio in prima, quæ illata erat in cæteris, vel saltē quæ semper & legitimè in eam converti potest. Quid 2.
sit reductio per impossibile infra dicetur.

Ut autem intelligatur quomodo instituenda 3.
sit reductio, sciendum jam est, quid significent consonantes in vocabulis, quibus suprà modos figurarum distinximus: ut enim illic vocales eorum, ita hîc consonantes usum habent.

Sunt q3 aliæ illarum primò *initiales, quæ ostendunt ad quem modum primæ reducatur unusquisq3* 4.
modus secundæ vel tertiæ, Ita C. in Cesare & Camestres *arguit modos istos duos ad* Celarent *primæ reducendos, & D. in* Darapti, Disamis, Datisi, *indicat modos illos tertiæ reduci debere ad* Darii *pri-*

mæ. Tantum in Baroco *&* Bocardo *id fallit, quia veteres duos istos modos ita non reducunt.*

5. Deinde *aliæ sunt in medio dictionis, & ostendunt quænam propositionum in reductione, vel convertenda vel transponenda sit, istæ nempe S. P. M. Et S. quidem denotat propositionis, cui præscribitur, simplicem conversionem, P. conversionem per accidens, & denig; M. fieri debere metathesin, sive transpositionem propositionis.*

6. *Ubi nota, unamquamq; harum consonantium pertinere ad vocalem se præcedentem, non ad sequentem, ac proinde quod arguit, id intelligendum esse de ea propositione cui præcedens vocalis, non cui sequens præponitur.*

7. *Sed ad rem. Cum itaq; primus modus secundæ figuræ sit* Cesare, *ille ad* Celarent *reducitur per solam conversionem simplicem majoris, hoc pacto. Syllogismus in* Cesare *est:*

Ces Nullus lapis est animal:
a Omnis homo est animal:
re E. Nullus homo est lapis.

Reducitur ita, ut oriatur hic syllogismus in Celarent:

Ce Nullum animal est lapis:
la Omnis homo est animal,
rent E. Nullus homo est lapis.

Secun-

Secundus modus est Camestres: *is itidem re-* 8.
ducitur ad Celarent, *sed primò transponenda est major in locum minoris, & deinde minor simpliciter convertenda, & denique convertenda etiam simpliciter conclusio.*

Syllogismus in Camestres *est hic:*

Cam Omnis homo est animal,
es Nullus lapis est animal,
tres E. Nullus lapis est homo.

In Celarent *est iste:*

Ce Nullum animal est lapis,
la Omnis homo est animal,
rent E. Nullus homo est lapis.

Equidem conclusio hic non planè eadem infer- 9.
tur in prima quæ est in secunda, sed tamen per legitimam conversionem una & eadem fieri potest.

Tertius modus est Festino, *qui reducitur ad* Fe- 10.
rio *per solam conversionem simplicem majoris. Syllogismus in* Festino *est hic:*

Fes Nullus lapis est animal,
ti Quoddam corpus est animal,
no E. Quoddam corpus non est lapis.

Reductio ad Ferio *ita habet:*

Fe Nullum animal est lapis,
ri Quoddam corpus est animal,
o E. Quoddam corpus non est lapis.

11. *Quartus est* Baroco. *Hunc veteres, ut dictum est, in syllogismum primæ non transformant, cum solam conversionem simplicem & per accidens agnoscat. Reducitur autem beneficio conversionis per contrapositionem ad* Ferio, *conversâ tantum majore.*

12. *Syllogismus in* Baroco *hic est:*

Ba Omnis homo est animal,
ro Quoddam corpus non est animal,
co E. Quoddam corpus non est homo,

In Ferio *sic habet:*

Fe Quicquid non est animal non est homo:
ri Quoddam corpus non est animal:
o E. Quoddam corpus non est homo.

13. *Tertiæ figuræ modus primus est* Darapti, *qui reducitur ad* Darii *sola conversione per accidens minoris. Syllogismus in* Darapti *est:*

Da Omnis homo est animal,
rap Omnis homo est bipes:
ti E. Quoddam bipes est animal.

Is in Darii *sic habet:*

Da Omnis homo est animal:
ri Quoddam bipes est homo:
i E. Quoddam bipes est animal.

Secun-

Secundus est Felapton: *reducitur ad* Ferio, *sola item conversione per accidens minoris. Syllogismus in* Felapton *est:* 14.

Fe Nullus homo est lapis,
lap Omnis homo est animal,
ton E. Quoddam animal non est lapis.

In Ferio *talis est.*

Fe Nullus homo est lapis:
ri Quoddam animal est homo:
o E. Quoddam animal non est lapis.

Tertius est Disamis: *reducitur ad* Darii, *conversa simpliciter majore, transposita minore, & conversa itidem simpliciter conclusione. In* Disamis *est hic syllogismus:* 15.

Dis Quidam homo est doctus,
am Omnis homo est animal,
is E. Quoddam animal est doctum.

In Darii *sic habet:*

Da Omnis homo est animal:
ri Quoddam doctum est homo:
i E. Quoddam doctum est animal.

Quartus est Datisi, *qui ad eundem modum primæ reducitur conversâ tantum minore simpliciter. In* Datisi *est:* 16.

Da

Da Omnis homo est animal:
tis Quidam homo est doctus:
i E. Quoddam doctum est animal.

In Darii *sic constituitur:*

Da Omnis homo est animal:
ri Quoddam doctum est homo: E.
i Quoddam doctum est animal.

17. *Quintus est* Bocardo. *Reducitur in transposita minore, & conversa per contrapositionem majore & conclusione, unde oritur syllogismus in* Darii. *In* Bocardo *enim iste est:*

Boc Quidam homo non est doctus,
ar Omnis homo est animal,
do E. Quoddam animal non est doctum.

Is in Darii *sic habet:*

Da Omnis homo est animal:
ri Quoddam non doctum est homo:
i E. Quoddam non doctum est animal.

Sextus est Ferison, *qui reducitur ad* Ferio, *conversa iterum simpliciter minore.*

Syllogismus in Ferison *est:*

Fe Nullus homo est lapis,
ris Quidam homo est doctus,
on E. Quoddum doctum non est lapis.

Hic

Hic in Ferio *ita habet:*

Fe Nullus homo est lapis,
ri Quoddam doctum est homo, E.
o Quoddam doctum non est lapis.

Ita ergo instituitur reductio ostensiva syllogismorum 19.
secundæ & tertiæ fig. ad primam. Ubi jam notetur; quod-
nam verum hujus reductionis fundamentum sit. Non-
dicuntur autem syllogismi secundæ & tertiæ fig. ideò legiti-
mi simpliciter, quod ex iis syllogismi primæ figuræ, h. e. ma-
nifestò & apertè boni effici possint: nam etiam pessimus syl-
logismus emendari & commutari in bonum potest; sed quod
quoties præmissæ syllogismi reducendi sunt veræ, toties veræ
existant præmissæ syllogismi etiam reducti, & ex his apertè
seu in prima inferatur vel eadem conclusio vel certè conver-
sa ejus, quam inferunt syllogismi reducendi; unde manifestò
patet syllogismum reducendum rectè concludere: quicquid
enim sequitur ad consequens alicujus antecedentis, hoc est,
conclusio quæ sequitur ad præmissas syllogismi reducti, tan-
quam consequens aliquod præmissarum syllogismi reducen-
di, id etiam sequitur ad ipsum antecedens, hoc est, ad præ-
missas ipsas reducendi. Cùm autem conclusio ad præmis-
sas, sive vera est quoties præmissa sunt vera, tùm forma est
bona.

Quod verò promissa syllogismi reducti semper vera 20.
sint, quoties vera sunt præmissa reducendi, sit propter conver-
sionem legitimam unius propositionis ad alteram, vel quod
interdum una præmissarum reducti planè eadem propositio
est cum una ex præmissis reducendi. Ita syllogismus sit in
Cesare hic:

Ces.

Ces N. lapis est animal,
a O. homo est animal.
re E. N. homo est lapis.

& reductus ejus in Celarent talis:

Ce N. animal est lapis,
la O. homo est animal,
rent E. N. homo est lapis;

Dico, quoties vera sunt præmissa illa syllogismi secundæ seu reducendi, nempe CESA, *toties veras etiam esse præmissas syllogismi istius primæ seu reducti, nempe* CELA, *&* CE *quidem quia est legitima convertens præmissa* CES, LA *autem quia est una & eadem cum præmissa* A; *& porrò, quoties vera sunt præmissa illa syllogismi reducti seu* CELA, *toties veram etiam esse conclusionem* RENT: *(hæc etiam sequitur in prima) adeoq; etiam conclusionem* RE *(quia eadem est cum illa:) unde tandem conficio eandem illam conclusionem* RE *veram esse quoties vera sunt præmissa syllogismi reducendi, seu* CESA, *rectèq; cohærere præmissas illas cum conclusione* RE *h. e. formam in* CESARE *legitimam esse.*

21. *Similiter sit syllogismus in* DISAMIS *his:*

Dis Q. homo est doctus,
am O. homo est animal,
is E. Q. animal est doctum,

qui sic reducitur ad DARII:

Da O. homo est animal,
ri Q. doctum est homo,
i E. Q. doctum est animal.

Osten-

Ostendo formam syllogismi DISAMIS, quia rectè reduci potest, esse legitimam, hoc pacto: Quoties verè sunt præmissæ illæ DISAM in tertia, toties verè sunt præmissæ DARI in prima, quia præmissa DA est eadem cum præmissa AM & præmissa RI per legitimã conversionem sequitur ex præmissæ DIS. Quoties autem verè sunt præmissæ DARI, verè est etiam conclusio: ita enim sequitur in prima. Ergo quoties verè sunt præmissæ DISAM toties verè est conclusio I, adeoq; etiam conclusio IS; quia IS ad I per conversionem sequitur. Ad DISAM autem rectè sequi IS est syllogismum in DISAMIS bonum esse. Eadem ratione id de aliis demonstratur. Hactenus de Reductione ostensiva.

CAPUT IX.

De

REDUCTIONE PER IMPOSSIBILE.

REductio per impossibile vocatur, cum ita forma syllogismi secundæ & tertiæ figuræ probatur, ut si quis admittere nolit conclusiones eorum legitimè inferri, contradictorias earum sumam & ostendam eas cum præmissis illis consistere non posse. Fit autem hoc ita.

Sit syllogismus in CESARE, quo antea etiam usi sumus hic:

Cel

Ces N. lapis est animal,
a O. homo est animal,
re E. N. homo est lapis.

Reg. *Dico quoties veræ sunt illæ præmissæ* CESA *toties veram etiam esse conclusionem* RE, *vel certe hanc ejus contradictoriam:* Q. homo est lapis. *Hæc autem vera esse non potest, ita ut præmissæ illæ ambæ veræ maneant: conjuncta enim cum una earum, nempe cum majore seu præmissa* CES *hoc pacto:*

N. lapis est animal,
Q. homo est lapis,

manifestò & in prima concludit hanc:

Q. homo non est animal.

quæ contradicit alteri præmissarum, nempe minori seu præmissæ A. *Quare non illa contradictoria conclusionis syllogismi* CESARE *vera est, quoties præmissæ veræ sunt, sed ipsa conclusio illa, adeoq; conclusio ipsa non ejus contradictoria rectè ex præmissis illis sequitur: id enim est rectè sequi si toties quoties præmissæ veræ sunt vera etiam sit conclusio.*

2. *Ubi tamen observetur, quando contradictoria illa conclusionis complicatur cum una præmissarum syllogismi secundæ aut tertiæ inferri interdum, & quidem in modis tertiæ* Darapti & Felapton, *non contradictoriam sed contrariam alterius præmissarum*

rum; *at rem eôdem recidere: nam nec contrariæ simul veræ esse possunt.* Ita *syllogismus in Darapti est hic:*

O. homo est bipes,
O. homo est animal,
E. Q. animal est bipes.

Dico *quoties veræ sunt præmissæ hujus syllogismi,* O. homo est bipes. O. homo est animal, *toties vera etiam est conclusio:* Quoddam animal est bipes, *vel ejus contradictoria:* Nullum animal est bipes. *Sed hæc non potest esse vera, cum præmissæ illæ veræ sunt: nam juncta uni earum, nempe minori, concludit in prima contrariam alterius, nempe majoris, sic:*

Nullum animal est bipes,
O. homo est animal,
E. N. homo est bipes.

Quod si ergo veræ manere debent præmissæ illæ: Omnis homo est bipes, O. homo est animal, *non potest esse vera hæc contradictoria conclusionis præmissarum illarum, adeoque necesse est, ut ipsa conclusio vera sit quoties illæ veræ sunt. Hucusque de reductione syllogismorum secundæ & tertiæ figuræ ad primam.*

Modi autem indirecti primæ (nam de ea etiam re 3
aliquid hic monendum) ita ad directos revocantur. Primi

tres eorum, Baralipton *puta* Celantes, Dabitis, *sicut praemissas habent directorum modorum, & suppressa vera harum & directa conclusione inferunt conclusionis istius convertentem: ita statim quoq; intelligentur, ubi conclusio directa iis inseritur hoc pacto:*

Bar	*Ba*	O. homo est animal,
ba	*ra*	O. Italus est homo,
ra		E. O. Italus est animal.
		& per consequens
	lip	E. Q. animal est Italus.

Ce	*Ce*	N. homo est lapis,
la	*lan*	O. Italus est homo,
rent		E. N. Italus est lapis
		& per consequens
	tes	N. Lapis est Italus.

Da	*Da*	O. homo est animal,
ri	*bi*	Q. Italus est homo,
i		E. Q. Italus est animal.
		& per consequens
	tis	Q. animal est Italus.

4. *Cateri autem duo reducuntur ad* Ferio *secundum indicium literarum, quæ in modis illis habentur. Sic in* Fapesmo *debet major converti per accidens, minor simpliciter, & transpositio propositionum fieri: in* Frisesomo *autem utraq; praemissarum convertenda est simpliciter, & propositiones itidem transponendæ, (etsi M. non est appositum,) ut ex subjecto schemate patet.*

Fap.	O. homo est animal
esm	N. equus est homo
o	E. Q. animal non est equus.

Fe N. homo est equus,
ri Q. animal est homo,
o E. Q. animal non est equus.

Fris Q. homo est doctus,
es N. equus est homo,
o E. Q. doctum non est equus.

Fe N. homo est equus,
ri Q. doctum est homo,
o E. Q. doctum non est equus.

Et ita consequentia syllogismorum obscurior evidens redditur tam per reductionem quam Expositionem. Tantum illud addimus, evidentiam maximam ex reductione esse: nam expositorius syllogismus ita elucidat alios tertia, ut & ipse, si opus sit, ad syllogismos primæ figuræ revocari possit, quæ de re alibi. §.

CAPUT X.

De

SYLLOGISMIS MODALIBUS.

DE syllogismis absolutis dictum est: sequuntur modales. Sed quia doctrina eorum paullò perplexior est, paucis tantum hic eam persequemur. Primò igitur ex puris necessariis rectè collegitur conclusio necessaria in omni figura, excepto fortè modo tertiæ Bocardo, *ut:* 1.

Necesse est O. hominem esse animal,
Necesse est O. Italum esse hominem,
E. Necesse est O. Italum esse animal,

Necesse est N. hominem esse lapidem,
Necesse est O. adamantem esse lapidem,
E. N. nullum adamantem esse hominem.
Necesse est O. hominem esse animal.

Necesse est omnem hominem esse risibilem,
E. Necesse est Q. risibile esse animal.

2. *Et quidem consequentia primæ figuræ evidens hic per se est, ut in absolutis: syllogismi autem secundæ & tertiæ figuræ, excepto modo* Bocardo, *ita ad primam reduci possunt, ut modus necessarii ubique maneat.*

3. *Tantùm observandum est, ut propositiones omnes sint absolutè necessariæ, non autem necessariæ tantum* quando, *ut appellant. Vocatur autem propositio absolutè necessaria, quæ semper & absolutè est vera, ut cum dico*: Necesse est O. hominem esse animal, Necesse est O. hominem esse risibilem. *Necessaria autem* quando, *quæ vera tantum est, cum res existit, ut si dicam*: Necesse est doctum esse hominem: *nec enim doctrina necessario est adeoq; nec in homine necessaria existit. Vnde nec absolutè necessarium est doctum esse hominem, sed tum tantum quando doctrina existit: cum enim existit in nullo alio præterquam in homine esse potest.*

4. *Quare non recte concludit hic & similes syllogismi tertiæ ex puris necessariis:*

Necesse est O. Philosophum esse doctum,
Necesse est O. Philosophum esse hominem,
E. necesse est quendam hominem esse doctum:

non

non enim necesse est sed contingit, quod homo sit doctus. causa est quod minor non absolutè necessaria sit, sed necessaria tantum quando: *non enim absolutè necessum est Philosophum esse hominem, sed quando Philosophus est seu existit tum est homo.*

Secundò *ex puris possibilibus seu contingentibus* 5.
rectè concluditur possibilis seu contingens in omni figura & omnibus modis. Sed duo observanda in iis syllogismis sunt ex Scoto 1. *ut præmissarum utraq; non tantum seorsim sumta sit possibilis in se, sed etiam ut sint ambæ, sicut ipse loquitur, compossibiles.* 2. *ut subjectum majoris in prima supponatur non tantum pro eis quæ sunt, sed quæ esse possunt.*

Nam si sic argumenteris, 6.

Possibile est O. currens esse equum,
Possibile est aliquem hominem currere,
E. possibile est aliquem hominem esse equum.

Conclusio falsa oritur, quia præmissæ ita sunt possibiles, ut tamen non sint compossibiles: quanquam enim possibile est O. currens esse hominem hoc aut illo tempore: possibile etiam, quendam hominem currere alio tempore, tamen non est possibile ut illa simul sint i. e. eodem tempore o. currens sit equus, & tamen tum etiam homo currat.

Similiter idem syllogismus propterea peccat, quia 7.
subjectum majoris tantum supponitur pro eo quod est, non quod esse potest: nam si sic eam intelligas: possibile est O. currens i.e. quod currere potest, esse equum, manifestò falsa est, & forma non peccat sed materia. Cum autem o currens *accipitur pro eo quod actu currit, vera est ma-*

jor illa, & ex veris præmissis infertur falsum, tum quod præmissæ non sint compossibiles, tum quod subjectum majoris legitimam suppositionem non habeat.

9. Tertiò ex puris impossibilibus non rectè concluditur, nisi quatenus impossibiles æquipollent necessariis, ubi scilicet dictum negans habent, ut in secunda figura. Ut male argumentaris hoc pacto:

Impossibile est O. hominem esse lapidem,
Impossibile est O. adamantem esse hominem,
E. Impossibile est O. adamantem esse lapidem.

Conclusio enim falsa est & præmissæ veræ.

Similiter non sequitur in tertia:

Impossibile est O. hominem esse lapidem,
Impossibile est O. hominem esse adamantem,
E. impossibile est O. adamantem esse lapidem.

Causa ejus rei est, quia modus impossibilis virtualiter negat. Sicut ergo ex modalibus de modis negatis nihil rectè infertur, quemadmodum post dicemus, ita neq; ex impossibilibus.

10. Quartò ex majori de inesse & minori necessaria nihil rectè concluditur in prima figura, adeoq; nec in cæteris, cum illa propositio est de inesse, quæ in reductione ad primam fit major. Quod non rectè ita concludatur, hoc exemplum docet.

Omnis

Omnis equus currit:
potest enim hac esse vera certo tempore,
Necesse est Bucephalum esse equum,
E. necesse est Bucephalum currere.

Quod si autem major sit necessaria & minor de inesse recte sequitur conclusio necessaria, ut:

Necesse est O. hominem esse animal,
Petrus est homo,
E. Necesse est Petrum esse animal.

Sed observandum ut major sit necessaria absolutè & sensu diviso, ut in exemplo allato, non ex hypothesi tantum aut sensu composito, ut si sic argumenteris: II.

Necesse est O. geometram esse doctum
Petrus est geometra
E. necesse est Petrum esse doctum:

Major enim non absolute sed ex hypothesi, nec sensu diviso sed composito necessaria est, cum nullus homo atq; ita nec geometra necessario doctus sit absolutè sed ex hypothesi tantum & eatenus quatenus vel geometra est, vel aliqua alia scientia praditus. Dici tamen potest, etiam in talibus rectè concludi necessariam, sed ex hypothesi tantum, quo sensu vera illa conclusio esse potest: Necesse est Petrum esse doctum, *etsi alias absolutè loquendo id contingens est.*

Quintò *cum major est contingens aut possibilis,* IV.
sed minor de inesse, rectè sequitur contingens aut possibilis, tùm in prima tum etiam in tertia, modo illa contingens seu possibilis sit in tertia, quæ in reductione fit major. In secunda non sequitur contingens aut possibilis, ut vult Aristoteles, etsi aliis contrarium videtur. Si autem ma-

jor sit de inesse & minor contingens vel possibilis nihil se quitur.

13. Sextò cum major est contingens & minor necessaria, sequitur contingens. Sin major necessaria sit, minor contingens & subjectum majoris supponat pro iis quæ esse possunt, sequitur necessaria in prima & similiter secundum proportionem in cæteris figuris. Et hactenus de syllogismis modalibus, qui ex modis affirmatis constant.

14. Septimò & postremo, si modi sint negati, nihil rectè infertur, nisi forte tales syllogismi ex aliis, qui modos affirmantes habent, æstimari possint: nam alioqui tam intricata eorum est ratio, ut ad certas & constantes formulas revocari nequeant. Tantum etiam de modalibus syllogismis: quæ enim præterea de illis dici poterunt, compendii modum excedunt.

CAPUT XI.

De SYLLOGISMIS CONJUNCTIS, ET PRIMO DE CONDITIONALIBUS. p. 90.

1. Syllogismus qui ex propositionibus simplicibus seu categoricis constant absolvimus: sequuntur ii qui ex conjunctis seu hypotheticis fiunt. Suntque in triplici differentia, ut & propositiones ipsæ, conditionales, seu hypothetici propriè dicti, copulativi & disjunctivi; ex quibus tamen copulativi parvi sunt monendi & minus familiares; cæteri sæpius occurrunt & majorem usum habent.

Univ-

Innititur autem forma horum syllogismorum formæ categoricorum: etenim non tantum Conditionales levi negotio transmittantur in syllogismos categoricos primæ aut secundæ figuræ, & inde robur acquirunt, sed etiam copulativi & disjunctivi, ut infra patebit. Verum ordine de singulis dicamus, & primò de conditionalibus. 2.

Conditionalis, *seu* hypotheticus *propriè dictus, est cujus major aut utraque præmissarum est propositio conditionalis, ut:* 3.

Si Petrus est homo est animal,
Sed Petrus est homo,
E. Petrus est animal.

Vel:

Si Petrus est animal est substantia,
Sed si est homo est animal,
E. Si est homo est substantia.

Habet is duas figuras. Una *est in qua posito antecedente ponitur consequens, ut:*

Si Petrus est homo est animal,
Sed Petrus est homo,
E. Petrus est animal.

altera, *in qua remoto consequente removetur antecedens, ut:*

Si lapis est homo est animal,
Sed lapis non est animal,
E. Lapis non est homo.

5. *Probatur hoc inde, quod utriusq; figuræ syllogismi transmutentur in categoricos rectè concludentes, primæ quidem in syllogismos primæ, ut:*

Quicquid est homo est animal,
Petrus est homo,
E. Petrus est animal.

Secundæ autem in alios itidem secundæ, ut:

Quod est homo illud est animal,
Lapis non est animal,
E. Lapis non est homo.

6. *Plures autem figuræ non sunt: nec enim vel remoto antecedente removetur consequens, vel posito consequente ponitur antecedens.*

7. *Id ita probatur: nam si à remotione antecedentis argumenteris ad remotionem consequentis, oritur syllogismus minore negante in prima. Sic si ita concludas:*

Si equus est homo est animal,
Sed equus non est homo,
E. equus non est animal.

Syllogismus redactus ad categoricum fit talis:

Quicquid est homo est animal,
Sed equus non est homo,
E. Equus non est animal.

Simi-

Similiter si posito consequente ponere velis antecedens, fit syllogismus, quum ad categoricum redigitur, affirmans in secunda. Ita ex hoc: 8.

Si equus est homo est animal,
Sed equus est animal,
E. equus est homo.

iste conficitur:

Quod est homo est animal,
Equus est animal,
E. equus est homo.

Huc accedit quod tales syllogismi etiamsi non redigantur ad categoricos, manifestò ex veris præmissis falsam conclusionem efficiunt. 9.

Cæterum utraque figura qua rectè concluditur, habet quatuor modos: *totupliciter enim affirmatio & negatio in antecedente aut consequente variat.* 10.

Modi prioris figuræ sunt hi. Primus *est quum tam antecedens quàm consequens affirmat, ut:* 11.

Si Petrus est homo est animal,
Sed est homo,
E. est animal.

Secundus est, cum & antecedens & consequens negat, ut: 12.

Si

Si lapis non est animal, non est homo:
Sed non est animal:
E. Non est homo.

13. *Tertius, in quo affirmat antecedens, & negat consequens, ut:*

Si Petrus est homo, non est lapis:
Sed est homo:
E. non est lapis.

14. *Quartus & ultimus, in quo antecedens negat, & consequens affirmat, ut:*

Si animal non est homo, est irrationale:
Sed hoc animal non est homo:
E. est irrationale.

15. *Eadem planè ratione habent se modi posteriorū figuræ: quare exempla tantùm ponamus. Primi itaque exemplum est:*

Si est homo, est animal:
Sed non est animal:
E. Non est homo.

16. *Secundi exemplum est:*

Si non est homo, non est doctus:
Sed non est non doctus:
E. Non est non homo.

Vel

Vel:

Sed est doctus,
E. est homo.

Tertij,

Si hoc est homo, non est equus: 17.
Sed non est non equus:
E. Non est homo.

Vel:

Sed est equus: E. non est homo.

Quarti denique, 18.

Si animal hoc non est homo, est irrationale:
Sed non est irrationale:
E. Non est non homo.

Vel:

E. Est homo.

Tantum hic observa, cum secunda figura removeat consequens ut removeatur etiam antecedens, fieri quoties vel antecedens vel consequens negat, ut duplex negatio sit vel in assumtione vel in conclusione, vel etiam utrobique, una, quæ jam erat in antecedente aut consequente propositionis, altera, per quam consequens removetur sicut in tribus ultimis modis patet. 19.

Causa est, quòd nihil removeatur nisi per particu-

ticulam negantem: quæ si jam ante sit in eo quod removendum est, duplex negatio oritur. Sic ut removeas tò Non-doctus, *dicas oportet*, Non est non-doctus *& ita de cæteris res se habet:*

21. *Verum quia istud:* Non est non doctus, *æquipollet ei:* Est doctus, *ut ex lib. 2. cap. 6. num. 7. notum est, sit ut utraque negatio interdum omittatur & pro:* Non est non-doctus, *aut simili, subsumatur vel concludatur:* Est doctus, *sicut etiam in categoricis usu venit, ut monstratur hoc lib. cap. 5. n. 10.*

Caput XII.

De
SYLLOGISMIS COPULATIVIS ET DISJUNCTIVIS.

1. Copulativus *Syllogismus est, cujus propositio est enunciatio copulativa. Nulli autem tales sunt affirmativi, sed negativi tantùm, quanquam etiam hi, ut jam antè diximus, magnum usum non habent. Fiunt sic:*

Non & homo est rationalis & lapis,
Sed est rationalis,
E. Non est lapis.

2. *Disjunctivi, quorum majore est enunciatio disjun-*

disjunctiva. Et hi rursus, ut conditionales, duas habent figuras. Prior est cum unum ponitur ut alterum tollatur: Posterior, cum unum tollitur, ut alterum ponatur.

Rrioris exemplum est hoc: 3.

Aut dies est aut nox est,
Sed dies est,
E. Nox non est.

Perinde autem est utra pars tollatur: nam & sic subsumere licet:

Sed nox est,
E. Dies non est.

Posterioris exemplum est illud: 4.

Aut dies est aut nox est,
Sed dies non est,
E. Nox est.

Vel:

Sed nox non est,
E. Dies est.

Cæterum tradi solent utriusque figuræ aliquot modi, ut in conditionalibus; sed quia quum pars una aut utraque Propositionis est negans nihil formaliter concludi videtur, eos prætermittimus. 5.

Tantum adhuc sciendum est, nullos fieri syllogismos aut Conditionales aut Disjunctivos, si 6.

ipsa

ipsa Propositio sit negans, puta si sit talis: Non si homo est doctus est medicus, Non aut Petrus est doctus aut indoctus.

7. *Postremo etiam syllogismi copulativi & disjunctivi convertuntur in syllogismos simplices, seu ut vocant, categoricos, si major tantum redigatur in propositionem simplicem, quæ idem dicat cum illa conjuncta, ut:*

Quicquid est rationale non est lapis,
Sed homo est rationalis,
E. Non est lapis.

Item:

Quando est dies non est nox,
Sed est nunc dies,
E. Non est nox.

Caput XIII.

De FORMIS ARGUMENTANDI IMPERFECTIS.

1. *Explicatæ huc usque sunt formæ argumentandi perfectæ: tales enim sunt tàm categorici quàm hypothetici syllogismi & si illi his sunt perfectiores & soli ferè in scientiis usurpantur: unde etiam hypothetici ab Aristotele neglecti sunt à Stoicis primum ac postea à Boethio explicati.*

Sunt

Sunt autem aliæ adhuc argumentationes sed 2.
imperfectæ, nempe, Enthymema, Dilemma, Exemplum, Sorites.

Enthymema, *definiente Boëthio, est oratio,* 3.
in qua non omnibus antè propositionibus constitutis infertur festinata conclusio. Potest etiam definiri, argumentatio in qua ex una tantùm propositione aliquid concluditur alterâ suppressa, ut:

Superbia est peccatum,
E. est fugienda.

Vel:

Omne peccatum est fugiendum,
Ergo & superbia.

Supprimitur autem & omittitur nunc major 4.
nunc minor propositio: major, ut in exemplo primo quod allatum est, minor, ut in altero.

Vnde imperfectus tantum syllogismus est, nec 5.
peculiarem formam habet, sed vi syllogismi concludit, in quem suppleta propositione, quæ deest, reducitur. Sic quare superbia fugienda sit non constat, si id tantum dicas, peccata esse fugienda nec vel addas vel subintelligas, etiam illam peccatum esse. Similiter non sufficit dicere eam esse fugiendam quia peccatum sit, nisi id quoq; vel expresè vel tacite supponas, omne peccatum fugiendum esse.

6. *Vsum autem habet in iis quæ adeo sunt manifesta, ut una propositionum omitti & facilè subintelligi possit. Vnde Aristoteles dicit, enthymema esse syllogismum ex verisimilibus & signis constantem.*

7. Dilemma *nihil aliud est quàm syllogismus disjunctivus utrinque capiens adversarium ut:*

Aut malè locutus sum aut benè:
Si malè ostendendum est,
Si benè non sum verberandus.

8. Exemplum *est argumentatio, qua aliquid singulare ex uno aut paucis similibus confirmatur ut:*

Imperium Græcorum delatum est à Turcas,
E. & Latinum ad eos deferri potuerit.

9. Sorites *est plurium syllogismorum in una argumentatione accumulatio: unde etiam nomen accepit: σωρὸς enim Græcè cumulus est. Talis argumentatio est hæc:*

Omnis avarus est idololatra,
Omnis idololatra mortaliter peccat,
Omnis qui mortaliter peccat damnatur,
E. Omnis avarus damnatur.

Sed & has argumentationes deficere à perfecto syllogismo manifestum est. Possunt tamen & ipsæ ad eum redigi, etsi aliæ facilius, aliæ minus facilè, prout longius aut minus longe ab eo recedunt. 10.

Dilemma ita fit syllogismus: 11.

Si verberandus sum, ideò verberabor vel quia bene vel male sim locutus.

Sed nec quia bene, nec quia male sim locutus.

E. non sum verberandus.

Convertitur, ut patet, in syllogismum conditionalem, omissis tantum iis quæ ad probationem Minoris in dilemmate adduntur, & suppletis quæ desunt. Sane cum CHRISTVS *argumentatur contra militem se percutientem ita:* 12.

Aut bene aut male locutus sum,
Si male, ostendendum est,
Sin bene, quare me verberas?

id probat, immeritò se verberari, seu verberandum se statim non esse. Hæc ergò est conclusio. Rationem adfert, quia id fieri non debeat, sive malè locutus sit, sive bene. Quare in iis tota argumentatio consistit. Quod autem additur, cur non sit verberandus sive male sive bene locutus sit, id probationem continet minoris, hoc modo:

Si statim verberandus sum verbero
ideo vel quia malè vel quia ben
locutus sum,

At nec quia male nec quia bene,

E. Non ita statim sum verberandus

Probatur minor. Non quia male: id enim prim
erat ostendendum. Sed nec quia bene: qui enim ben
loquitur nullatenus vapulare debet.

13. *Conclusio igitur in dilemmate omissa integr*
ponenda est, & probatio Minoris, quæ in ipsam argu
mentationem conjecta erat, separanda, & syllogismu
perfectus erit.

14. *Exemplum reducitur ad syllogismum si singu*
lare non tam ex alio singulari præcise; quàm ex e
quod ipsum commune cum aliis habet probetur. Si
Latinum imperium non necessariò ad infideles devol
vitur quia ad eos Græcum devenit: nec enim quod un
regno evenit idem alteri etiam necesse est accidere
Veruntamen si causam occasus imperij Græci adsu
mas & de Latino eandem ponas, valida fit argumen
tatio. Id autem ut fiat primò dicitur sic: Imperium
Græcum propter dissidia & peccata ad Turcam deve
nit, E. omne imperium ad infideles hoc modo tandem
devolvi potest. Vnde postmodum argumentari
licet:

Omne

Omne imperium Christianum quod dissidet & peccatis obruitur, ad infideles tandem devenit,

Latinum imperium est tale,

E. ad infideles tandem devolvetur.

15. *Denique Sorites ut plurium syllogismorum confusione constat, ita in plures perfectos resolvi debet sic:*

Omnis idololatra mortaliter peccat,
Omnis avarus est idololatra,

E. O. avarus mortaliter peccat.

Et porrò:

Omnis mortaliter peccans damnatur,
Omnis avarus mortaliter peccat,

E. Omnis avarus damnatur.

16. *Hactenus de forma earum etiam argumentationum quæ à perfectis syllogismis non nihil abludunt, sed revocari ad eos possunt.*

Caput XIV.

De Syllogismis Propositionum Exponibilium.

1. Quæ de syllogismis hactenus dicta sunt ea forma omnes illorum continent, iis tantum exceptis, in quibus aut una aut utraq; præmissarum propositio quadam exponibilis est: nam tales propositiones formam statim perturbant. Sic si argumenteris hoc pacto;

O. rationale est animal,
Solus homo est rationalis,
E. Solus homo est animal,

syllogismus est in prima figura & amba præmissæ veræ sunt, nec minus tamen fallit conclusio. Nihilominus major est universalis & minor affirmans, nec pluribus quam tribus terminis constat rectè rectè repetitis; tantummodo autem vitium in eo est quod minor sit propositio exclusiva.

2. Similis ratio est de illo syllogismo:

Quicunq; salvantur eos vult Deus salvos fieri,
Sed pauci salvantur,
E. paucos vult Deus salvos fieri.

Vbi rursus præmissæ veræ sunt, & conclusio falsa: non enim paucos sed omnes Deus, quantum in ipso est, salvari cupit.

3. Ad eundem modum male concluditur etiam ita:

Omnis

Omnis homo est animal,
Petrus quatenus est rationalis, est homo,
E. Petrus quatenus est rationalis est animal.

Vbi turbas dat propositio reduplicativa: nam praemissa vera sunt & conclusio tamen falsa: nec enim Petrus est animal, quatenus est rationalis, sed quatenus sensitivus, & nihilominus vitium nullum aliud in forma illa notari potest. 4

Vt autem intelligatur, qui fiat quod in talibus syllogismis forma statim vacillet, propositiones illae exponibiles resolvendae & exponendae sunt, eo modo quo supra monstratum est, & deinde ex exponentibus illis (ita enim vocantur ea in quas resolvuntur) syllogismi formandi: tum enim actutum patebit ubi peccatum lateat. Sic in primo syllogismo allato minor illa, qua exclusiva est exclusi subjecti, resolvi debet hoc modo: Solus homo est rationalis i. e. Quidam homo est rationalis, &, Quidquid non est homo non est rationale. 5

Deinde ex illis exponentibus syllogismus faciendus est, quarum priorem si assumas erit talis:

O. rationale est animal,
Q. homo est rationalis,
E. Q. homo est animal.

Quae rectè prorsus concludit. Sim posteriorem adhibeas argumentum tale erit:

Quicquid est rationale est animal,
Quicquid non est homo non est rationale,
E. Quicquid non est homo non est animal,

ubi

ubi forma labat, sed vitium manifestum est, quia minor negantem habet in prima.

6. *Eadem ratio est de secundo syllogismo ex supra allatis: nam etiam ibi minor est exclusiva, & sic exponi debet: Pauci salvantur i. e.* Aliqui salvantur, &, Non omnes salvantur: *nam si priorem exponentium loco exponibilis illius ponas, rectè concludetur hoc pacto:*

Quicunque salvantur eos Deus vult fieri,
At aliqui salvantur,
E. Aliquos Deus vult salvos fieri.

Quidni enim velit aliquos qui vult omnes? Quod si autem posteriorem sumas, non rectè quidem concludetur ita:

Quicunque salvantur eos Deus vult salvos fieri,
At non omnes salvantur,
E. non omnes Deus vult salvos fieri.

Sed vitium manifestum est, cum minor sit apertè negans in prima.

7. *Tertius autem qui reduplicativam propositionem habet, continet quatuor terminos: minor enim:* Petrus quatenus est rationalis est homo, *ita resolvitur:* Petrus est homo, *&.* Est homo secundum rationalitatem, *atq; ita apertè sunt quatuor termini. Tantum etiam de his syllogismis.*

CAP.

CAPUT XV.

De INDUCTIONE.

ARgumentatio accipitur dupliciter, propriè & impropriè. Propriè quidem de argumentatione syllogistica seu syllogismo: impropriè de Expositione & Inductione. Et verò propriè argumentatur qui ratione seu argumento aliquo rem cognoscit vel ostendit, minus propriè, qui ad sensum aliquid demonstrat, seu ex sensu notis quidquam intelligit. Solus autem syllogismus ratione & argumentorem confirmat: expositio verò & Inductio sensu quasi & experientia. Vnde etiam syllogismum facere propriè est argumentari. 1.

Verùm cum expositio & inductio syllogismum imitentur, referri ad argumentationes solem & cum syllogismo explicari: nam utraq; ad veritatem indagandam multum facit, etsi præcipuè & in solo ferè syllogismo alias Logica occupatur. De expositione dictum est cap. 7. de inductione nunc verbo aliquid addendum: nec enim difficultas in ea est. 2. 16.

Est autem inductio quando ex omnibus aut plerisque singularibus sensu notis infertur seu ab intellectu colligitur universale, vel quando ad probandum rem totam sic aut aliter se habere, in- 3.

ducuntur omnia vel plæraque ejus individua, in quibus sensus deprehendit aliter comparatum non esse. Ita primum innotuit hominibus omne vinum calefacere, quia Rhenanum, Hungaricum, Creticum, Hispanicum &c. calefacere sensus docet. Ita porrò didicimus omnes tyrannos malè perire, cum experientia docuerit, id Caligulæ, Claudio, Neroni, Galbæ, Vitellio, Domitiano, Maximino &c. obtigisse.

4. *Differt à syllogismo quod is, ut dictum est, rationem affert quare res sic se habeat, inductio non ad rationem sed experientiam provocat. Sic cum syllogismo concluditur omnes tyrannos malè tandem perire, dicitur id fieri quia alios injustè trucident & opprimant, ut:*

Qui alios injuste trucidat aut opprimit, is ipse quoque tandem male perit.

At omnes tyranni id faciunt,

E. omnes tyranni male tandem pereunt.

Hîc redditur ratio quare pereant. At inductio non rationem ejus rei sed experientiam allegat, & inde probat omnibus hoc contingere, quia singulis deprehensum sit evenire, sic:

Ca-

Caligula periit, Claudius periit,

Domitianus, Maximinus &c.

E. Omnes tandem pereunt.

Differt porrò ab expositione, quod expositio ex uno singulari colligat propositionem particularem, inductio ex omnibus singularibus vel plerisque in unum collectis propositionem universalem. Sic expositio est si dicas. 5.

Hoc est vinum,

Hoc calefacit,

E. Aliquod vinum calefacit.

Inductio, cum ita procedis:

Hoc vinum calefacit, istud

calefacit, illud &c.

Ergo omnia vina calefaciunt.

Liber Quartus
DE DEMONSTRATIONE.

Caput I.
De FINE ET DEFINITIONE DEMONSTRATIONIS.

1. Dictum est supra, geminam esse tractationem syllogismi & propositionum ejus, unam formæ, alteram materiæ. Dictum porrò est, formam syllogismi vocari, si legitimè unum ex altero in argumentatione sequatur, eamque inde aliàs consequentiam appellari: materiam autem, conditionem & naturam propositionum, ex quibus aliquid deducitur vel probatur: nec enim hîc materia pro re physica, ethica aut simili, de qua syllogismi fiunt, accipitur, (quæ specialis materia est,) sed communiùs pro omni quod vel necessarium & evidens est, vel contingens & probabile tantum.

Prior consideratio hactenus absoluta est: omnes enim

enim formulas argumentorum & syllogismorum explicavimus. Restat posterior de materia ex qua argumenta confici solent: quæ doctrina cum difficilior sit priori, paucis tantum à nobis hic percurretur.

Sunt autem propositiones seu principia, ex quibus conclusio deducitur, duplicia, alia necessaria & rei, quæ probanda est, propria, alia probabilia tantum, & communia seu longiùs petita. Vnde & argumentationes sunt duplices: quæ enim ex principiis necessariis & rei propriis conficiuntur demonstrationes appellantur quæ ex probabilibus & communibus, dialecticæ seu topicæ probationes. 3.

Sic ex communibus & probabiliter tantum argumentatur, qui sic probat perfectum phthisicum non curari: 4.

Quicunque est mortalis ille tandem non curatur.
Omnis phthisicus est mortalis.
E. Omnis phthisicus tandem non curatur:

etsi enim omnes homines sunt mortales, tamen non necesse est omnes phthisi extingui. Nec quum is qui planè contabuit moritur, ideò propriè moritur, quia mortalis est, ut cæteri homines, sed peculiariter & exertè quia tabem habet.

Demonstrat autem & ex propriis ac necessariis principiis procedit qui sic id probat: 5.

Cui

Cuicunq; propter ulcus pulmonis cor ipsum & totum corpus contabescit, is moritur.

At hoc fit in phthisico.

E. Phthisicus moritur.

Et sane si cor ipsum fons vitæ totumq; corpus contabescat, necesse est hominem mori: nec qui idem quemquam mortuum esse dicit, commune aliquid allegat, sed veram ejus rei caussam & necessariam rationem adfert.

6. *Tale quid ergò est demonstratio & Græcè* apodixis *appellatur. Vnde ipsa etiam accuratam & evidentem rei notitiam in animo gignit, cæteræ autem probationes confusam tantùm & minùs evidentem. Accurata verò & evidens rei notitia uno nomine* scientia *vocatur, estque finis demonstrationis: unde & syllogismus demonstrativus seu apodicticus aliàs* ἀποδεικτικὸς *dicitur.*

7. *Est autem scire rem per caussam cognoscere, propter quam res est, quod illius caussa sit, quodque res illa aliter se habere non possit.*

8. *Hoc ut intelligatur, paucis exponendum est, quid sit caussa & quotuplex: nam latè ea vox patet. Et* primò *quidem* caussa *dicitur non tantùm quod simpliciter τὸ esse rei largitur, seu facit ut res sit, sed id etiam, sine quo res nec est, nec fieri potest. Sic remotio puris caussa dicitur sanationis vulneris, non quòd pus removere sit vulnus sanare, sed quòd sana-*

De caussis f. 198.

sanari illud non possit, nisi hoc removeatur. Hæc caussa sine qua non appellatur.

Deinde dicitur caussa rei, quòd eam non per se, sed per accidens tantùm producit, sicut fossio agri caussa est inventionis thesauri in agro, non per se, sed per accidens: cùm enim agrum quis ideò foderet, ut eum consereret, accidit, ut thesaurum, quem ignorabat, & non quærebat, forte fortuna inveniret. Sed neutra harum vera caussa est, tantùm ideò sic appellantur quod similitudinem quandam cum veris causis habeant, sicut imago hominis homo dicitur, quia homini similis est. 9.

Tertiò verè & propriè dicitur caussa, quod simpliciter & per se facit ut res sit. Et hæc est quadruplex, primò efficiens, quæ rem efficit, seu à qua res est, ut filius est à patre, calor à sole: deinde materialis, ex qua res efficitur seu est, us statua ex lapide, ære aut ligno sit, domus ex lignis, cæmentis & lapidibus: tertiò, formalis, per quam res est quod est, ut homo per animam rationalem est homo, domus per structuram suam est domus: & quartò denique finalis, propter quam seu cujus gratiâ res fit vel est, sicut domus propter inhabitationem exstruitur. 10.

Quartò, dividuntur caussæ hæ omnes rursus in caussas propinquas & remotas. Propinquæ seu proximæ dicuntur, quæ proxime ad rei pro- 11.

du-

ductionem concurrunt: remotæ, quæ remotè tantum. Sic caussa efficiens proxima ex. gr. Petri est pater, efficientes remotæ avus, proavus, atavus &c. materia proxima carnis est sanguis, remota chylus, panis, far, &c. Forma proxima hominis est anima rationalis, remota, anima vivens & sentiens. Finis denique proximus studiorum est, ut doctus quis evadat, remotus, ut alios erudiat & doctrinâ suâ ecclesiæ aut republ. serviat.

12. Quantò vocantur aliæ caussæ externæ, aliæ internæ. Externæ dicuntur efficiens & finalis: ita enim esse rei dant, ut essentiam ejus non ingrediantur, nec illam ut partes ejus constituant. Sic statuarius statuam efficit, & pretium statuæ illud est propter quod statuam facit: nec statuarius tamen, vel pretium, quod pro eâ accipit, statua est, vel pars essentiæ ejus. Internæ sunt materialis & formalis: ex his enim essentia rei, ut partibus constat. Sic materia statuæ ex qua facta est, & forma seu figura, quam habet, statuam constituunt & partes ejus sunt.

13. Sextò efficientium aliæ primò dicuntur principales, aliæ instrumentales. Principales sunt, quæ rem efficiunt, ut statuarius efficit statuam, instrumentales, per quas aliquid efficiunt, sicut statuarius per malleum & cælum facit statuam. Deinde aliæ dicuntur producere rem per veram efficientiam seu peculiarem actionem, sicut statuarius mul-

multo labore fabricatur statuam; aliæ per emanationem, ita ut res emanet & profluat tantum ab ea, nec peculiaris actio interveniat, sicut ex sole emanat lumen, exigne calor, ex anima rationali risibilitas. Tertiò aliæ dicuntur efficere physicè, aliæ moraliter. Physicè quidem, sicut ignis museum calefacit; moraliter, sicut calefactor, qui ignem fornaci includit: ignis enim id facit calorem conclavi inpertiendo, calefactor autem ligna & ignem apponendo tantum.

Septimò, materia alia est immanens, alia transiens: immanens, ex qua ita res fit, ut ipsa ei inexistat, sicut statua fit ex ære, ita ut æs sit & maneat in statua; transiens, ex qua ita res fit, ut ipsa non maneat, sed intereat, sicut ex ligno ita fit ignis, ut lignum in ignem transeat. Eodem modo ex cibo fit sanguis, ex aqua aër ex aëre ignis &c. §. 14.

Octavò formæ aliæ sunt naturales, ut anima rationalis est forma hominis; aliæ artificiales, ut figura Petri, Pauli &c. in statua, formæ statuæ. §. 15.

Nonò denique fines alii sunt ultimi, alii intermedij. Ultimus finis & propter quem ultimò res fit, sicut ultimus finis artis medicæ est sanitas: intermedij, qui ad ultimum illum tendum, ut in eadem arte sunt, purgatio humoris noxij, venæ sectio &c. Sed de his hoc loco plus satis. Ad definitionem scientiæ revertamur. §. 16.

17. *Dicitur autem res sciri* per causam, *quia nemo rem evidenter novit aut intellectu penetrat, nisi qui veram causam seu rationem ejus percipit. Additur*, propter quam res est, *ut intelligas proximam causam seu rationem: propter hanc enim res propriè est, non ob causam remotam, sicut Petrus propriè est propter parentem, à quo productus est, non propter avum à quo parens ejus genitus est. Dicitur porrò*, quod illius causa sit: *ut res entia sciatur, non sufficit nosse id quod est causa, sicut etiam rusticus videt arborum latifoliarum humorem aquosum, angustifoliarum verò tenacem & pinguem esse, sed etiam constare oportet, quod hoc aut illud sit causa alicujus rei, ex. gr. quod humor ille aquosus in arboribus latifoliis causa sit defluvii foliorum & humor pinguis in aliis causa conservationis eorundem. Denique subjungitur, quod res illa* aliter se habere non possit: *nec enim is rem scit, qui certus de ea non est, aut tam evidenter eam non cognoscit, ut nihil deinceps dubitare de ea possit.*

18. Demonstratio *porrò est syllogismus, qui constat ex veris, primis & immediatis, notioribus & prioribus, ac causis conclusionis. Dico ex veris: nam ex falsis nihil demonstrari potest. Dico præterea, ex primis & immediatis h. e. propositionibus seu præmissis, quæ tam evidentes sunt, ut ex aliis prioribus aut alio aliquo medio probari non indigeant: hæ enim dicuntur propositiones primæ & immediatæ, aliæ propositiones per se notæ, quales sunt hæ:* Homo est rationalis, Homo est animal, Bonum est expedibile aliquid, Virtus aliquid bonum, Vitium aliquid malum *&c. hæc enim non aliunde probari egent, sed per se nota sunt, & ex terminis, hoc est, ex se ipsis innotescunt. Græcè* κοιναὶ ἔννοιαι communes notiones, *vocantur.*

Addit

Additur porrò: notioribus & prioribus, *ut intelligatur, ita præmissas seu principia demonstrationis debere esse per se nota, ut simul sint notiora re demonstranda, seu ut resilla ex iis innotescere possit. Dupliciter autem aliquid dicitur notius & prius altero, natura & nobis.* Natura *notius vocatur, quod secundum ordinem naturæ ita comparatum est, ut in alterius cognitionem nos deducat, sicut causa notior est effecto: ut enim effectus est à causa, ita secundum ordinem naturæ ex illa quoq; cognoscitur, non ipsa ex effectu. Notius autem* nobis, *quod prius plurumq; à nobis cognoscitur, sicut effectus ferè citius observamus quàm causas, eclipsin puta solis, quàm causam ejus defluvium foliorum, quam causam defluvii &c. Hoc loco sermo est de eo quod est natura notius & prius: cum enim evidenter & distinctè res cognoscenda est, unumquodque ex eo cognoscere oportet, non tam quod communiter nobis prius innotescit, quàm quod secundum naturam notius & prius est.* 19.

Vltimo adjicitur: causis conclusionis, *quod intelligendum est non tantum de causa illationis sive consequentiæ, sed maximè etiam de causa ipsius rei, quæ conclusione continetur: nam alias in omni bono syllogismo, etiam qui demonstrativus non est, præmissæ causæ sunt conclusionis i. e. quod conclusio illa sequatur, sicut in definitione syllogismi dicitur, illam ideo sequi, quod ista i.e. præcedentia seu præmissa posita sint. At in demonstratione peculiariter adhuc sunt causæ conclusionis, quia causam continent rei, de qua conclusio loquitur. Sic ſs argumenter:* 20.

Omnis qui est doctus fuit doctrinæ capax,
Petrus est doctus,
E. Petrus fuit doctrinæ capax.

præmissæ illæ ita dispositæ causa sunt, quod sequatur ista conclusio, & doctum esse rectè arguit capacitatem doctrinæ; sed causa tantum sunt illationis i. e. consequentiæ & cognitionis conclusionis hujus, non autem causa ipsius rei, quæ conclusione continetur: nec enim τὸ doctum causa est capacitatis doctrinæ, sed contrà potiùs capacitas doctrina causa doctrinæ.

21. *Cùm autem ita colligo:*

Quidquid rationale est id capax est doctrinæ,
Sed homo est rationalis,
E. Homo est capax doctrinæ,

præmissæ non tantum causa illationis sunt, sed etiam rei ipsius: nec enim illæ nudè tantum nos in cognitionem istius conclusionis deducunt, seu efficiunt, ut cognitis illis præmissis norim etiam conclusionem esse veram esse, sed ita conclusionem illam efficiunt, ut simul causam veram & proximam rei ipsius suppeditent, quæ conclusione illa exprimitur. Plura hac de re alibi explicantur.

CAPUT II.

DE PARTIBUS DEMONSTRATIONIS.

1. *DIximus in demonstratione assignari causam rei. Vnde tria distinguenda in ea sunt, primò res de qua aliquid demonstratur, seu subjectum in quo est id quod demonstratur, secundò* proprietas illa

illa quæ in subjecto ostenditur esse, & tertiò causa, per quam id ostenditur.

Subjectum illud sit minor in demonstratione, 2.
proprietas major, caussa medium. Sic in allato exemplo minor est homo: *ei enim competit illa proprietas, quod capax sit disciplinarum: major est ipsa illa* capacitas doctrinæ, *& medium denique* ratio *seu rationale esse.*

Similiter res se habet, cum sic demonstro quare 3.
omnes arbores latifoliæ hieme amittant folia & retineant angusti foliæ:

Omnis arbor, qui habet humorem aqueum & minus calidum, hieme amittit folia,
At omnis arbor latifolia habet talem humorem,
E. Omnis arbor latifolia hieme folia amittit.

Item:

Omnis arbor quæ habet humorem pinguem & calidum servat folia,
At omnis arbor angusti folia habet talem humorem,
E. Omnis arbor angustifolia servat folia.

4. *Vterq; syllogismus demonstrativus est: prior enim veram caussam assignat, defluvii foliorum in arboribus latifoliis, altera caussam conservationis illorum in cæteris. In priori subjectum demonstrationis est* arbor latifolia, *proprietas*, defluvium foliorum, *caussa*, humor aqueus *& minus calidus seu frigidus: in posteriori subjectum est* arbor angustifolia, *proprietas* conservatio foliorum, *caussa est humor* pinguis *& calidus. Vtrobiq; etiam subjectum est minor terminus, proprietas major, caussa medius.*

5. *Idcirco autem partes demonstrationis tam diligenter distinguendæ sunt, ut singulæ rectè considerentur: nec enim de quavis re aliquid demonstrari potest, nec quidvis, nec per quamcunque causam. Et primo necessum est ut subjectum demonstrationis sit res necessaria non contingens, æterna item, h. e. perpetua, non fluxa aut mutabilis. Ratio est, quia quicquid ipsum est contingens proprietates & accidentia etiam non necessaria sed contingentia habet. Similiter & passio seu proprietas quæ demonstranda est, necessarium quid esse debet. Ratio utriusq; hæc est: cum enim scientia non sit qualiscunque sed certa cognitio, ita autem cognosci à nobis non possint quæ mutabilia & incerta sunt, demonstratio & scientia non nisi de rebus necessariis & immutabilibus esse possunt.*

6. *Denique caussa seu ratio, per quam aliquid demonstratur, vel efficiens sit oportet, vel finalis. Vbi tamen per efficientem intelligatur non solum quæ propriè dicitur efficere, sed etiam quæ efficit per emanationem, sic-*

ut

ut fama & materia causæ efficientes sunt suarum proprietatum.

Exemplis res clara erit. Ita primò non demonstratur sive scitur aliquid de rerum corruptibilium individuis, hoc homine, illo homine, &c. aut hoc equo vel illo equo, quia intereunt, sed de speciebus tantum, homine, equo &c. quia perpetuo manent. Deinde non demonstratur de homine doctrina, aut quod ambulet in foro, quia utrumq; tantum accidentaliter ei competit, & nunc est nunc non est. Demonstratur autem de eo capacitas doctrinæ, & de animali facultas ambulandi, quia prius semper homini, posterius semper animali competit: quanquam enim nec homo semper doctus est, nec animal semper ambulat, potentiam tamen ad utrumque perpetuo habent. Tertiò & postremò non demonstratur capacitas doctrinæ de homine per animam ejus rationalem, aut quantitas de eodem per corpus, quatenus anima & corpus constituunt hominem, & unum ejus forma, alterum materia est, sed quatenus proprietates istæ ab illis, ut causis suis efficientibus profluunt, & anima quidem rationalis capacitatem doctrinæ in homine, corpus autem seu materia corporis quantitatem, qua in corpore est, producit. 7.

CAPUT III.

De

NOTIS PROPOSITIONUM NECESSARIARUM SEU EARUM QVÆ AD DEMONSTRATIONEM IDONEÆ SUNT.

1. DEmonstrationem ex principiis necessariis constare initio diximus, & patet ex decursu eorum quæ attulimus: id enim, per quod propria rei affectio ex caussa vera & proxima cognoscitur, oportet propositiones summè necessarias & certissimas esse.

2. Vt igitur propositiones ejusmodi à cæteris dignoscantur, tres notæ sunt observandæ, prima est, ut sint de omni, secunda ut per se, & tertio, ut universaliter primæ.

3. De omni, Græcè καθ' παντὸς, hic dicitur quando prædicatum competit subjecto omni & semper, ut cygno albedo.

4. Per se autem καθ' αὑτὸ, dicitur aliquid in universum quatuor modis. Primò quod est rei genus aut differentia, sive genus & differentia remota sit, sive proxima. Sic homo per se est animal, item corpus vivens; illud enim ejus genus proximum, hoc remotum est. Per se item competit homini quod sit rationalis, item quod sentiat: ratio enim differentia ejus proxima est, qua distinguitur à brutis, sentire, remota, qua à plantis differt.

5. Secundò dicitur per se quod rei est proprium, sicut risibilitas dicitur de homine, hinnire de equo, rugire de leone &c.

6. Tertiò dicitur per se quod per se subsistit, sicut substantia respectu accidentis, quod huc non pertinet.

Quar-

Quartò, *quorum unum necessariò est propter alterum, ut effectus propter causſam. Ita per se est eum, cui* jugulum confossum *est*, mori. 7.

Vniversaliter primum *dicitur, quando non tantum rei omni & per se aliquid inest, sed etiam quatenus illa talis est. Ita homini inest sensus omni, & per se primo modo: non tamen primò seu quatenus homo est, sed quatenus animal: quod enim rem* 8. *videt, audit, gustat, item tactu & odoratu percipit, id commune cum omnibus animalibus habet. At quod* numerare *possit, ridere, discere artes liberales, non tantum omni ei competit, sed etiam eatenus quatenus homo est, cum ista in bruta non cadant, Græce* καθόλου πρῶτον.

Dicitur autem dupliciter aliquid primum, 9. *semel, ut primum i. e. proximum & immediatum subjectum, in quo res est; deinde ut prima seu proxima & immediata causſa à qua est. Sic facultas numerandi, ridendi & artes discendi, competit homini ut primo talium subjecto: nec enim alia res eam facultatem habet, nec homo per aliud sed per seipsum talis est. Nihilominus eadem conveniunt ipsi animæ rationali, ut primæ eorum causſæ: à ratione enim id est quod omnia ista possit. Similiter sensus animali competit, ut primo suo subjecto, animæ verò sentienti, ut primæ causſæ. Vnde hæ propositiones:* O. homo est risibilis, O. animal est sensu præditum *primæ sunt primitate, ut vo-*

cant, *subjecti*: *ista verò*: O. rationale est risibile, O. quod habet animam sentientem est sensu præditum, *primæ primitate caussæ*.

10. *Tales ergò esse propositiones oportet ex quibus aliquid demonstratur, i. e. certa evidens & intima rei notitia hauritur: nam ea demum quæ rei omni, semper, per se & primò insunt tam essentialia ei sunt, vel tam arctè cum essentia ejus conjuncta, ut ex iis ipsa rei natura clare & evidenter innotescat, cum quæ contra se habent nec essentiam illius attingant, nec necessariò cum ea cohæreant, ut clarè & evidenter perspectam reddere possint. Prior etiam cognitio certa est, posterior incerta: nam quod alicui omni, per se & catenus inest quatenus est tale, id necessariò ei competit & perpetuò inest; quod autem nec omni, nec semper, sed alicui & aliquando tantum, nec per se & primò, sed ex accidenti, & per aliud, id non constanter, sed mutabiliter inest.*

11. *Unum addo, non vocari hic propositionem necessariam aut contingentem, quæ modum necessarii vel contingentis habet, ut supra, sed quæ reipsa est talis, i. e. necessarium vel contingentem prædicati cum subjecto nexum habet, etiamsi modus nullus addatur.*

Cap.

CAP. IV.

De SPECIEBUS DEMONSTRATIONIS.

DEmonstratio, quæ κατ' ἐξοχὴν ita dicitur, una propriè est, & illa, ubi effectus per suam caussam probatur eo modo, quo dictum est. Et hæc proprie & proximè scientiam gignit, quia dicit quare seu propter quid, res sit: unde etiam demonstratio διότι & propter quid vocatur. Nec de alia quàm ista dictum est hactenus. 1.

Verum enim verò cum caussæ rerum occultæ plærumque sint, & contrà effectus in sensus incurrant, fit ut ex his ante caussas illas indagare homines necesse habuerint, quàm ex caussis res demonstrare & unde unumquodque fieret explicare possent. Certe eclipsis utriusque sideris, cum fit, oculis omnium se ingerit, & prius conspecta fuit, quàm caussæ ejus innotescerent. Quin admiratio deliquii, quod videbant, primum homines impulit, ut caussam ejus investigarent, donec ea inventa non fieri jam tantum illud sed & quare fieret cognoscerent. Similiter appetente hieme arbores latifolias omnes folia sua perdere, anguſtifolias non item, quis non quotannis videt? At cur utrumque accidat docti tantum norunt; nec innotuit ante, quam reperirentur qui 2.

caus-

causſam diſcrepantiæ illius diligenter ſcrutarentur & in lucem protraherent. Eadem ratio eſt de aliis quæ inrumerata ſunt.

3. Vnde jam altera ſpecies demonſtrationis oritur, quæ demonſtratio ὅτι quod, ſeu, ut barbare loquuntur, demonſtratio quia appellatur. Dicitur ὅτι, cum non curres ſit, ſed quod ſit oſtendat. Non tantum autem ita appellatur illa quæ ex effectu causſam demonſtrat, ſed alia etiam, quæ ex negatione causſæ remotæ oſtendit effectum etiam non eſſe. Sic quod ex defluvio foliorum in arboribus latifoliis primò innotuit humidum illarum arborum aquoſius minusq; calidum eſſe quàm anguſti foliarum, & ex deliquio lunæ, aliquid inter ipſam & ſolem intercedere, quod lumen ſolis, quo ipſa illuſtratur, intercipiat, id eſt ex effectu causſam cognoſci. Cum autem oſtenditur, ſenſum in lapide non eſſe, inde quod nec vita inſit, ex negatione causſæ remotæ concluditur negatio effectus: vita enim causſa remota ſenſus eſt. Omnia hæc demonſtrationum genera in ſcientiis occurrunt: ſed illa διότι præcipua eſt. Tantum etiam de demonſtratione.

LIBER QVINTVS

DE DOCTRINA TOPICA.

CAPUT I.

De SYLLOGISMO TOPICO.

SYllogiſmus Topicus eſt, ut ſupra diximus, qui ex principiis communibus eſt conflatus. Solet is alioqui dialecticus appellari, ſicut & doctrina, quæ de eo tractat, dialectica præſtiùs nonnihil accepto vocabulo, quàm ſit quum totam Logicam denotat. 1.

Multum autem differt à ſyllogiſmo demonſtrativo: is enim accuratam rei cognitionem & ſcientiam gignit, hic confuſam tantum notitiam, ut itidem ſupra jam indicavimus: unde etiam veram opinionem pro fine habere vulgò dicitur. 2.

Vtrumq; autem ad rerum veritatem inveſtigandam requiritur, non tantum ut accuratam & evi- 3.

evidentem earum notitiam nobis per causſas & effecta cujusque paremus, ſed etiam, ubi id non licet, probabilem & minus evidentem: nam non minoris artis eſt, inter ea quæ incerta ſunt & variè ſe habere poſſunt, id ex multis amplecti quod vero quam proximum eſt, & declinare quod vel longius ab eo abit, vel prorſus abſurdum ſæpè eſt, quàm in iis, quæ certa & neceſſariæ materiæ ſunt, veram & proximam cujusque rei cauſſam adeoque ſcientiam invenire. Prius demonſtratoris eſt, poſterius dialectici propriè ita dicti.

4. Cæterum cum multa ſint principia communia, Logici ad ea rectiùs invenienda & diſcernenda certos Locos conſtituunt, qui Græcè quoque τόποι appellantur, unde ea depromi poſſunt.

5. Eſtque ejusmodi Locus ſedes argumenti, argumentum autem inventum ad rei dubiæ fidem faciendam. Sic Cauſſa eſt Locus, argumenta autem, principia à natura cauſſæ petita, quibus quidpiam probetur: & ſolent hæc alias axiomata vel maximæ vocari.

6. Non eſt autem certus eorum Locorum numerus, ſed ab aliis plures, ab aliis pauciores numerantur: hîc ſufficit ſi præcipui breviter oſtendantur.

Cap.

CAPUT II.

De

LOCO DEFINITIONIS ET DESCRIPTIONIS.

pag: 41.

PRimus itaque sit Definitio & Descriptio. 1.
Vtraque quid sit supra suo loco diximus. Argumenta seu principia quæ ex eo desumuntur hæc sunt. Primò: Cui competit definitio, eidem competit definitum, *& contra*, cui definitum, eidem & definitio. *Sic quod est* animal rationale *id est* homo, *& rursus, quidquid est* homo, *illud* animal rationale *est: homo enim definitum est, & animal rationale definitio.*

Deinde de quo negatur definitio de eo- 2.
dem negatur etiam definitum & contrà. *Sic qui negat equum esse animal rationale, oportet ut neget eundem esse hominem. Et rursus quod negamus hominem esse, idem negare etiam debemus esse animal rationale.*

Eadem ratio est de Descriptione: *nam &* 3.
ex hac duo ejusmodi axiomata desumuntur.

CAPUT III.

De

LOCIS QVI EX PRÆDICABILIBUS CONSTITUUNTUR.

pag: 2.

1. Secundum Locum facimus Genus. *Hinc ista maximæ ducuntur.* Primo: Posito genere ponitur species aliqua, *sed indeterminate tamen, ut: Si est animal est etiam vel equus, vel leo, vel homo &c.*

2. *Secundò*, Negato genere negantur omnes ejus species, *ut: Si non est animal, nec equus est, nec leo, nec homo &c.*

3. *Tertiò*: Quod de Genere dicitur idem dicitur de omnibus speciebus, *ut: Si animal est corpus, leo est corpus, lupus &c.*

4. *Quartò*: Quod negatur de Genere idem negatur de specie,

5. *Tertius locus est* Speciei. *Unde istud axioma desumitur*: De quo dicitur species de eodem dicitur genus. *Sic quia de* Petro *dicitur quod sit* homo, *dicendum de eodem quod sit* animal.

6. *Quartus est* differentiæ. *Hinc eadem fere argumenta petuntur quæ à natura definitionis, cum differentia præcipua ejus pars sit.*

7. *Quintus est* Proprij. *Hinc; si tamen de proprio quarti modi loquamur, ista præcipue oriuntur*: Cui competit proprium ei competit etiam species. *Item*: De quo negatur proprium de eodem negatur & species. *Sic de quo dicitur* risibile *de eo dicitur* homo, *& de quo negatur illud, de eodem & hoc negatur. Sextus est*

est Accidentium; *sed hic, quia admodum imbecilla argumenta suppeditat, omittatur.*

CAP. IV.

De LOCIS SIMILIUM, COMPARATORUM, ET PARIUM.

1. SEptimus locus est Similium. *Ex quo tale principium petitur.* Quod de uno similium valet, id valet etiam de altero.

2. Octavus est Comparatorum *seu* Majoris & Minoris. *Non est autem argumentari à majori vel minori, augumentari à re majore vel minore, sed à majori, verisimilitudine rei unius ad minorem, & contrà. Vnde Arist. ipse vocat* ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἐκ τοῦ ἧττον, ex eo quod magis vel minus est, *ratiocinari.*

3. *Maximæ sunt duæ. Prima est*: Si id non inest rei quod magis verisimile erat inesse, non inest etiam illud quod inesse minus erat verisimile. *Sic argumentaris: Si Petrus Grammaticam non tenet, multò minus Medicinam novit.*

4. *Altera est hæc*; Si id inest quod inesse erat minus verisimile, etiam illud inest quod inesse magis verisimile erat. *Ita dico: Si Petrus Medicinam novit, multò magis Grammaticam tenet.*

Nota autem à Majore & Minus argumentationem esse tantum negativam, à Minori verò ad majus semper affirmativam.

5.

6. *Nonus locus est* Parium. *Paria autem rursus dicuntur non res pares, sed quæ parem verisimilitudinem habent. Maxima est una:* Quod valet de uno parium id valet etiam de altero. *Sic si medicus potest fine suo interdum frustrari, frustrari potest etiam orator: æquè enim finis oratoris non est in potestate ipsius, atq; finis medici non est in potestate medentis. Eodem modo argumentamur negativè.*

CAPUT V.

DE LOCO CAUSARUM.

1. *DEcimus locus* Caussarum & Effectorum, *præcæteris fœcundus admodum & plurima principia suppeditans. Ratio est quod caussa multiplex sit: alia enim est efficiens, alia finalis, alia formalis, alia materialis, ut suprà diximus.*

2. *Nec tantum ex natura caussæ in communi, sed ex singulis istis ejus speciebus argumenta ducuntur. A natura caussæ in communi ita argumentamur. Primò:* Posito effecto necesse est caussam esse vel fuisse. *Secundò:* Posita caussa proxima in actu, ponitur etiam in actu effectus proximus.

Ter-

Tertiò: Posita caussa in potentia, effectus quoque tantum in potentia ponitur. Quartò. Negata caussa negatur effectus.

Sic dicis: Ædes sunt, Ergò vel est vel fuit architectus. Architectus potest ædificare. Ergo ædes possunt ædificari, Architectus actu ædificat. Ergo ædes actu ædificantur &c. 3.

Caussa efficiens dividitur in principalem & instrumentalem. Vnde desumitur hoc principium: Nulla caussa instrumentalis agere potest, nisi elevata ad id à principali. Sic malleus non facit horologium nisi motus manu artificis. 4.

A caussa finali ita argumentamur: Qui vult finem vult etiam media quæ necessariò ad illum finem requiruntur. 5.

A formali sic: I. Posita forma ponitur res cujus est forma, ut: Si habet animam rationalem est homo. II. Operatio arguit formam, ut: Si ratiocinatur est rationalis. III. Quo nobilior est operatio eò nobilior etiam est forma, ut: Quod nobiliorem cognitionem habet quàm brutum, habet etiam nobiliorem animam bruto. 6.

A materiali deniq; illud est principium: Posita materia ponuntur etiam conditiones ma- 7.

teriæ, *ut*: *Corpus hominis constat ex materia corruptibili: ergò est corruptibile.*

CAPUT VI.

De RELIQUIS LOCIS.

1. DEcimus locus esse potest Antecedentium & Consequentium. *Habet hic talia principia*: I. Posito consequente ponitur antecedens, *ut*: *Si est senex, fuit juvenis.* II. Remoto antecedente removetur consequens, *ut*: *Si non fuit juvenis, non est senex.*

2. *Vbi notetur, antecedens & consequens hic vocari non antecedens aut consequens propositionis hypotheticæ, sed antecedens & consequens rei*: unde hæc non contrariantur illi, *qua lib. III. c. XI. n. 6. & seqq. de forma Syllogismi hypothetici traditur*: nam quod est antecedens in re hoc sit consequens in propositione conditionali, & quod est consequens in re fit antecedens in propositione, si vera esse debet. Sic antecedens in re ipsa est juventus & consequens senectus. Quod si ergo propositionem hypotheticam ex illis terminis facere velis, senectus antecedens ejus occupabit & juventus consequens: non enim posita juventute ponitur senectus, sed posita senectute juventus, & erit propositio talis, *Si est senex fuit juvenis*, non autem, *Si est juvenis erit senex.* Quare etiam syllogismus recte procedet ita:

Si Petrus est senex fuit juvenis,
Sed est senex,
E. fuit juvenis:

Nam

Nam posito antecedente propositionis hypotheticæ, nempe, est senex, *ponitur consequens ejusdem scil.* fuit juvenis, *non obstante quod secundum rem* τὸ *senem esse consequens sit &* τὸ *juvenem esse antecedens. Valet etiam Syllogismus si sic subsubmas:*

Sed non fuit juvenis,
E. non est senex:

removetur enim consequens propositionis, nempe fuisse juvenem, ut removeatur etiam antecedens ejusdem, nempe esse senem.

Undecimus est Etymologiæ. *Sed hic admodum imbecillia argumenta suppeditat.* 3.

Duodecimus & ultimus est Conjugatorum & Casuum, *quæ Græcè σύζυγα σύστοιχα vocantur. Vacantur autem conjugata & casus vacabula, quorum eadem est origo, ut* amor, amare, amicus, amicitia. 4.

Maxima talis est: De quo dicitur vel negatur unum conjugatorum de eo dicitur quoque vel negatur alterum. *Sic, Petrus amat, E. in eo est amor. Est amicus, E. in eo est amicitia.* 5.

LIBER SEXTVS.

DE ELENCHIS SOPHISTICIS.

Caput I.

QUID SIT ELENCHUS SOPHISTICUS ET QUÆ EJUS SPECIES.

1. Hactenus explicata sunt omnia, quæ tam ad formam quàm materiam argumentationum pertinent, quibus rectè intellectis & observatis in disputando non errabis.

2. Verum enim verò quia non sufficit scire, quo pacto ipse rectè argumenteris & disputes, sed in aliorum etiam argumentationes inquirendum est, quæ contra te adferuntur, & opera danda ne ab ijs decipiaris, id restat ut deceptiones illas, quæ veri speciem habent & fucum facere facilè possunt, solvere discamus.

3. Solent autem ejusmodi deceptiones & fallacia

cia elenchi sophistici *appellari*: ἔλεγχος enim Græcè est redargutio, & σοφιστὴς homines impostores seu ad alios in disputando decipiendos compositi. Vnde sophisticum dicitur omne quod speciosè fallit, & elenchus sophisticus argumentum fallax seu captio.

Dico, quod speciosè fallit: *nam si error* 4.
aliquis in disputando & argumentando manifestus occurrat, quia nullam speciem bonæ argumentationis habeat, sophisma aut captio vel fallacia propriè non est.

Sic non est fallacia, si syllogismus manifestè 5.
habeat quatuor terminos: id enim vitiosum esse ignorari nequit; sed si quaternarius ille numerus terminorum fuco aliquo tectus sit, ita ut ternarius tantum appareat, sicut in æquivocatione fit.

Vnde nec hîc agitur de ipsis erratis in se, quæ 6.
in argumenti forma aut materia esse possunt: illa enim ex traditis omnia dijudicari possunt, se de fallacia detegenda, quæ ista peccata occultari solent, ita ut primo intuitu non conspiciantur.

Redigitur autem omnis ejusmodi fallacia & 7.
fucus ad duas classes: vel enim est in dictione, ἐν τῇ λέξει, *vel extra dictionem,* ἔξω τῆς λέξεως. In dictione, *quum latibulum erroris in sermone quæritur,* extra dictionem, *quum in re. De utroq; genere aliquid est dicendum.*

Caput II.

De

FALLACIIS IN DICTIONE.

1. Fallacia quæ in dictione committuntur seu potissimum sunt, Æquivocatio seu homonymia, Amphibolia, Compositio vocum, Divisio, Accentus & Figura dictionis.

2. Æquivocatio, seu homonymia, est, quum deceptio ex multiplici significatione vocis alicujus oritur, ut si canem dicas, & nunc animal, nunc sidus, intelligas: utrumq; enim ita appellatur, etsi re ipsa ista maximè differunt.

3. Amphibolia dicitur, quum non est ambiguitas in una voce, sed in tota oratione, ut Ajo te, Æacida, Romanos vincere posse. Ambiguum hic est totum quod dicitur, non tantum enim intelligi potest sic, fore ut Æacides seu Pyrrhus vincat Romanos, sed ita etiam, futurum, ut Romani vincant Pyrrhum. Dicipitur igitur qui unum tantum ejus sensum esse putat, sicut Pyrrhus iste ab oraculo, quod versum illum protulit, deceptus fuit.

4. Fallacia compositionis est, cum sensu compósito accipitur, quod diviso intelligendum erat. Vocatur

catur autem sensus compositus, Græcè σύνθεσις, cum dico: Potest sedens stare, id est, Potest stare sedendo, seu dum sedet. *Sensus divisus, quum sic intelligitur:* Potest is qui sedet stare, *non scilicet dum sedet, sed postea.*

Fallacia divisionis *seu* διαιρέσεως *est, quum* 5.
sensu diviso accipitur, quod composito accipiendum erat. Sic si illud: Duo & tria sunt quinque, *ita intelligas,* duo esse quinque, *&* tria esse quinque, *cum accipiendum sic sit:* Duo & tria simul sumta esse quinque, *divisio est ubi compositio esse debebat.*

Fallacia Accentus *seu* προσῳδίας *est, quum* 6.
in quantitate aut pronunciatione vocis, vel pronunciatione etiam totius orationis fucus fit, ut si dicas: Diu ille moratur *apud nos, non intelligendo, ut videri poteras, diu eum manere & commorari sed diu morum agere: id enim vox morari aliàs significat, si prima syllaba longa sit. Similiter si ironicè pronuncietur, quod alter sine ironia accipit. Tale est illud satyrici:* Usque adeone Scire tuum nihil est nisi tescire hoc sciat alter? *ironicè enim à poëta dicitur, & vulgò absque ironia accipitur. Unde poëta id ait, posse quem scire aliquid etiam si alii id eum scire nesciant. Vulgò autem contrarium intelligitur.*

Positio-

Postremò in figura dictionis, seu σχήματι τῆς λέξεως, est fallacia, quum phrasis vel ratio loquendi non rectè percipitur, ut si valere & secare eodem modo dici putes, & utrumq; actionem esse censeas, cum prius qualitatem dicat, sanitatem nempe, & posterius tantum actionem.

Caput. III.
De FALLACIIS EXTRA DICTIONEM.

1. Fallaciæ extra dictionem sunt septem: fallacia Accidentis, A dicto secundum quid ad dictum simpliciter, Ignorantia elenchi, Petitio principii, fallacia Consequentis, Non causſa, ut causſa, & Plurium interrogationum.

2. Fallacia Accidentis, Aristoteli παρὰ τὸ συμβεβηκὸς, est quum id rei per se tribuitur quod per accidens tantum ei competit. Talis est, si vinum malum voces per se, quia homines reddat insanos: ejusmodi enim illos concinnat non per se, sed immodicè sumtum. At hoc ei accidit, nec necessum est, ut qui bibere vult vinum, id sine modo ingurgitet. Per se ergo malum non est, sed ex eo quod accidit & abesse poterat.

3. Fallacia à dicto secundum quid est, quum id quod secundum quid rei tribuitur, de ea accipitur simpli-

simpliciter. Sic rectè dicitur æthiops esse albus, intelligendo id de dentibus ejus. At non tamen id ad totum æthiopem extendi potest. Aristot. vocat πρὸς τὸ ἁπλῶς τόδε, ἢ πῇ καὶ μὴ κυρίως λέγεσθαι.

Ignorantia Elenchi, ἡ ἐλέγχου ἄγνοια est, cum non rectè intelligitur, quid in quæstione sit. Sic peccat qui quum Paulus dicit, cavendum esse, ne quis per Philosophiam Græcam decipiatur, intelligit hoc ita, Philosophiam Græcorum planè discendam non esse. Vel, si quis dicat: Cave ne te vinum decipiat, & intelligas, Cave ne vinum bibas. 4.

Petitio principii, τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, est cum id loco probationis sumitur, quod in quæstione, vel saltem æquè dubium erat, atq; id de quo quæritur. Ejusmodi est, si dicas animam hominis esse immortalem, quia non intereat cum corpore; non interire enim cum corpore est idem quod immortalem eam esse. 5.

Fallacia Consequentis, πρὸς τὸ ἑπόμενον, est, si consecutionem reciprocam esse putes quæ non est, ut si dicas: Si pluit, terra est madida. E. si madida est, pluit: etsi enim, quando pluit, terra madefit, non tamen statim, si madida est, pluit, cum possit alia de caussa ipsa madere. 6.

Fallacia quum non caussa adfertur pro caussa, πρὸς τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, quid sit, ex ejus nomine manifestum est. 7.

Postre-

8. *Postremò fallacia* plurium interrogationum *est, quum duæ pluresve interrogationes pro una accipiuntur & sine discrimine respondetur, ut si quærenti, an* ea quorum alia bona sunt alia mala, omnia sint bona, *respondeas esse, vel etiam, non esse: error enim oritur, quia plura quæruntur & confunduntur, quibus si una responsione satisfacere velis, necessum est te intricari. Arist.*

vocat τὸ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν.

FINIS.



S. Gregorius Nazianzenus Theologus orat, funebri in S. Balium M.

Τίς μὲν ῥητορικὴν τοσοῦτος, τὴν πυρὸς μένος πνέουσαν, εἰ καὶ τὸ ἦθος αὐτῷ μὴ κατὰ ῥήτορας ἦν; τίς δὲ γραμματικὴν, ἢ γλῶσσαν ἐξελληνίζει, καὶ ἱστορίαν συνάγει, καὶ μέτροις ἐπιστατεῖ, καὶ νομοθετεῖ ποιήμασι; τίς δὲ φιλοσοφίαν, τὴν ὄντως ὑψηλήν τε καὶ ἄνω βαίνουσαν, ὅση τε πρακτικὴ καὶ θεωρητικὴ, ὅση τε περὶ τὰς λογικὰς ἀποδείξεις καὶ ἀντιθέσεις ἔχει καὶ τὰ παλαίσματα, ἣν δὴ Διαλεκτικὴν ὀνομάζουσιν, ὡς ῥᾷον εἶναι τοὺς λαβυρίνθους διεξελθεῖν, ἢ τὰς ἐκείνου τῶν λόγων ἄρκυς διαφυγεῖν, εἰ τούτου δεήσειεν.

Quis in Rhetorica, illa, inquam, ignis vim spirante, cum eo (S. Basilio) comparandus, tametsi illius mores a rhetorum moribus dissiderent? quis in Gram-

Grammatica, *quæ linguam ad Græcismum format, historias colligit, metris præest, carminibus leges præscribit? quis in Philosophia, excelsâ procul dubio scientia, & sursum gradiente, sive eam partem spectes quæ in actione aut speculatione posita est, sive eam, quæ in Logicis demonstrationibus aut oppositionibus & concertationibus versatur, quam Dialecticam vocant? in qua adeo excelluit, ut iis, qui cum eo disputabant, facilius esset è labyrinthis sese extricare, quàm argumentorum ejus laqueos effugere, si quando res postularet.*

S. Hie-

S. Hieronymus de S. Paulo Apostolo epist. ad Paulum Urbicam.

Apostolus sæpe proponit, assumit, confirmat atq; concludit, quæ propriè artis Dialecticæ *sunt.*

S. Augustinus lib. II. de doctrina Christiana cap. XXXI.

Disputationis *disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in literis sanctis sunt penetranda & dissolvenda, plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium.*

Et iterum.

Cum sint veræ connexiones non solum verarum sed etiam falsarum sententiarum, facile est veritatem connexionum etiam in scholis illis discere, quæ præter ecclesiam sunt; sententiarum autem veritas in libris ecclesiasticis investiganda est. Ipsa tamen veritas connexionum non instituta sed animadversa est ab hominibus & notata, ut eam possint vel discere vel docere: nam est in rerum ratione perpetua & divinitus instituta.

Et

Quidam sic se jactant, cum veritatem connexionum didicerint, quasi sententiarum ipsarum sit veritas: & rursus quidam, plærumque retinentes veram sententiam, malè se contemnunt, quia leges conclusionis ignorant.

Pag. 15. lin. 10. lege, constituit *hominem*, pro, constituit *animal*.



http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1000088774/phys_0212
Universitäts Bibliothek Rostock

Et cap. XXXIV.

Quidam sic se jactant, cum veritatem connexionum didicerint, quasi sententiarum ipsarum sit veritas: & rursus quidam, plærumque retinentes veram sententiam, malè se contemnunt, quia leges conclusionis ignorant.

Pag. 15. lin. 10. lege, constituit *hominem*, pro constituit *animal*.



Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 038
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
UB Rostock 05 1500
the scale towards document
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1000088774/phys_0213